SYMBOLAE BOTANICAE.

VOLUMEN PRIMUM.

SHOUT
SHARE
IT

SYMBOLAE BOTANICAE

SIVE

DESCRIPTIONES ET ICONES PLANTARUM NOVARUM AUT MINUS COGNITARUM.

AUCTORE

CAROLO BORZIWOGO PRESL,

MEDICINAE DOCTORE, HISTORIAE NATURALIS CAESAREO-REGIO PROFESSORE PUBLICO IN UNIVERSITATE PRAGENSI.

VOLUMEN PRIMUM. 106 pp. + 2 - 80 pls.

complete according to Junk's catalogue

PRAGAE,

SUMTIBUS AUCTORIS.

E TYPOGRAPHIA J. SPURNY.

M.DCCC.XXXII.

listed by Junk at 250 mm. = £60.00 Apr. 1930.

CASPARO. COMITI. STERNBERG

MUSEI. BOHEMICI. PRAESIDI

MAXIMOQUE. BENEFACTORI

FLORAE. PROTOGEAE. PRIMO. AUCTORI

SCIENTIARUM. ARTIUM

PRAECIPUE. HISTORIAE. NATURALIS

AMICO. CULTORI

ERUDITORUM. MEOQUE

MAECENATI

HAS

SYMBOLAS. BOTANICAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quotidiana experientia ac persuasio affatim docet, plantarum novarum aut rarissimarum non sat bene ac necesse est cognitarum icones additis descriptionibus completis idoneisque Botanices studium quam maxime augere, omnique Botanices et horticulturae amatori exoptatas esse.

Immortalis Linneus quidem dixit: herbarium praestat icone; sed pace tanti viri effatum hocce, licet aevo Linnei veritati consentaneum esse potuit, nostris temporibus plane omne veritatis pretium amisit. Nam planta exsiccata superficialem intuitum organorum suorum externorum singulorum praebet, numquam vero omnem et absolutam seriem omnium characterum praesertim floris et fructus subministrat. Accurata tamen et quantum fieri potest omnibus partibus absoluta icon ampla descriptione concomitata systematicam naturae magis consentaneam dispositionem ordinum generum et specierum promovet et adminicula studii Botanices hodierni de die in diem difficilioris non spernenda auget. Tali ratione errores evitantur, qui tam frequenter obviam veniunt, si plantae, quamquam summo cum artificio exsiccatae, fugaci manu laevique industria inquiruntur.

Tales accuratas et quantum fieri potest omnibus partibus absolutas aerique incisas icones novarum aut rarissimarum non sat bene cognitarum plantarum praefixis descriptionibus amplissimis divulgare mihi proposui et nunc Botanices peritis offero, operique titulum SYMBOLARUM BOTANICARUM impono.

Objectum harum symbolarum botanicarum sistunt plantae phanerogamae omnium classium et ordinum. Exclusae sunt omnino plantae cryptogamae cellulosae; filices vero minorem tantum partem efficient. Scopus unicus praesentis operis est et erit nova genera speciesque plantarum phanerogamarum provulgandi, praesertim illa, quorum studium arduum. E jamjam cognitis generibus speciebusque tantum haec admittenda, quae aliunde diversis in operibus divulgavi et quorum icones supervacaneas esse non censeo. Non solum europaeas sed in omni terrarum orbe provenientes stirpes phanerogamas suscipere ratio operis jubet, nec umquam copiam materiarum in herbariis Musei bohemici, quorum antistes esse me glorior, et in herbario fratris mei amantissimi supplectilem exhauriendam timeo.

Singulae stirpes scientificis phrasibus describuntur criticisque adnotationibus providentur, ita ut affinia genera speciesve, ordines naturales subdivisionesque respicientur. Icones sub oculis meis ab habili Botanicesque gnaro delineatore concinnantur.

Ne plantarum exhibendarum dimensiones nonnisi rarissime patiantur, magnitudinem quarti majoris, et cum quisquis Botanices studiosus Terminologiae seu neotericis sic dictae Glossologiae gnarus sit in tantum ut opera scientiae comprehendat, linguam latinam selegi.

Qui diuturnas nocturnasque curas in disquirendis dissecandis dijudicandisque plantis dubiis novisve noscit, opus meum aequo judicabit animo, et errores infortuito casu irrepsos potius humanae mentis fragilitati et artis difficultatibus, quam studio laevioris notae superficiali et scruticinii quamquam difficillimi experte adscribat.

Pragae die 15. Februarii 1830.

C. B. PRESL.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 2. Polpodae capensis synonymis *adde:*
Camphorosma paleacea. *Lin. suppl.* 128. *Roem. Schult. syst. veg.* 3. *p.* 462.
Monetia paleacea. *Spr. syst.* 1. *p.* 442.

— 6. Didymonemae filifoliae synonymis *adde:*
Melachne Sieberi. *Schrad. mss. in Schult. syst. veg.* 7. *p. LXXXV.*

— 7. Affinitati *adde:* Summa affinitate gaudet cum Marila, sed differt numero quinario calycis et corollae, stigmate sessili, sepalis per anthesim imbricatis.

— 8. Scyphaeae racemosae synonymis *adde:*
Anisosticte. *Bartl. ord. nat. p.* 294 *in nota.*

— 14. Xiphocarpus martinicensis *lege* Xiphocarpus candidus; synonymis *adde:*
Tephrosia candida. *Cand. prod.* 2. *p.* 249.
Robinia candida. *Roxb. cat. hort. calc. p.* 56.
adde: ADNOTATIO. Nomen specificum incongrue selectum erat, cum haec stirps Indiae orientalis verosimiliter in Martinica culta obveniat.

— 15. *adde:* HISTORIA. Clar. Kunze in honorem Poeppigii novum genus quoddam chilense ex ordine Haemodoracearum dicavit, sed cum nominatim tantum obvenit, nomen a me plantae cubensi impositum servandum esse puto.

— 17. Habitationi *adde:* In Brasilia ad Bahiam collegit *Blanchet* et *Lhotsky.*

— 22. Polytropiae ferulaefoliae synonymis *adde:*
An Psoralea prostrata. *Lin. amoen. ac.* 6. *p.* 93*?*

— 38. linea 4. *adde:* Proxima est Limeo, sed differt defectu corollae, staminibus quinque, stigmatibus crassis, capsula semicirculari, carpellis bilocularibus, loculo uno abortiente.

— 47. Amoriis *adde:* A. Endressii. — Trifolium Endressi. *Gay in pl. exs. union. itin.*

— 48. Trifoliis *adde:* T. Xatardi *Cand.*

— 61. post lineam 35 *adde:* Valde affinis L. incanae *Graham in bot. mag. t.* 3048, sed diversa foliorum dentibus et angulis, colore petalorum, squamarum petaloidearum aristis multo longioribus, stylo piloso, seminibusque.

— 62. post lineam 22 *adde:* Pertinet ad sectionem ISOTOMA.

— 63. linea 6. *loco* calycis laciniis aequilonga, aequalia. *lege* calycis laciniis duplo longiora, superiore caeteris duplo latiore.

— 63. linea 13 et 14. *loco* tribus superioribus aequalibus, duobus inferioribus paulo latioribus vix brevioribus. *lege* lacinia inferiore reliquis aequalibus paulo minore.

— 64. linea 23. *loco* duas lineas longae, *lege* lineam longae.

— 64. linea 25. *loco* longitudine calycis laciniarum, *lege* calycis laciniis duplo longior.

— 64. linea 26. *loco* Tubus stamineus corolla multiplo brevior, *lege* Tubus stamineus corollam subaequans.

— 64. linea 27. *loco* Ovarium longitudine staminum, *lege* Ovarium longitudine calycis tubi·

— 64. linea 3 ab infra, *loco* 2. Flos, auctus. *lege* 2. Flos expansus et a latere, naturali magnitudine. 2 a. Flos, auctus.

— 64. linea 2 ab infra, *loco* Tubus stamineus, magis auctus, *lege* Tubus stamineus expansus, auctus.

— 71. Affinitati *adde:* Magis affinis Chrysopiae; differt filamentis, antheris, stylo, stigmatibus, figura ovarii atque glandulae hypogynae seu disci.

INDEX GENERUM ET SPECIERUM.

	Pag.
ADENOBASIUM	39
Adenobasium salicifolium	40
Alpinia Haenkei	66
AMARENUS	46
AMORIA	47
Amoria calycina	43
Amoria macropoda	51
ANEURISCUS	71
Aneuriscus Aubletii	72
Aneuriscus exserens	72
APOPLANESIA	63
Apoplanesia paniculata	64
CALYCOMORPHUM	50
Campanula Barrelieri	30
Cistus Cupanianus	33
Dendrobium carnosum	35
Dendrobium mexicanum	36
Dendrobium nutans	34
DICARPAEA	37
Dicarpaea linifolia	38
DICRANANTHERA	75
Dicrananthera hedyotidea	76
DIDYMONEMA	5
Didymonema filifolia	6
Dorycnium torulosum	19
ENDLICHERA	73
Endlichera brasiliensis	74
Erythrina bracteata	70
Erythrina fissa	69
GALEARIA	49
GRAMMATOCARPUS	59
Grammatocarpus volubilis	60
Helianthemum rosmarinifolium	32
Heteranthera spicata	18
Huberia resinosa	58
Inga martinicensis	65
KOLLERIA	23
Kolleria herniariaefolia	24
Lasiandra muricata	68
Ledocarpum argenteum	67
LEPISIA	9
Lepisia ustulata	10
Loasa atriplicifolia	61
Lobelia Salzmanniana	31
Lobelia triphylla	62
LUPINASTER	46
Lupinaster Ecklonianus	52
MICRANTHEUM	47
MICROCHILUS	25
Microchilus major	26
Microchilus minor	27
MISTYLLUS	49
Neurocarpum cajanifolium	17
PARAMESUS	45
POEPPIGIA	15
Poeppigia procera	16
POLPODA	1
Polpoda capensis	2
POLYTROPIA	21
Polytropia ferulaefolia	22
PTEROTHECA	55
Pterotheca Vahlii	56
Rhynchospora longiflora	41
Rhynchospora paniculata	42
Rhynchospora pauciflora	57
Scabiosa tenuifolia	20
SCYPHAEA	7
Scyphaea racemosa	8
STEUDELIA	3
Steudelia galioides	4
THYSANACHNE	11
Thysanachne scoparia	12
Ticorea nitida	28
TRIFOLIUM	48
Trifolium affine	54
Trifolium dasyurum	53
Wahlenbergia flaccida	29
XIPHOCARPUS	13
Xiphocarpus martinicensis	14

POLPODA.

ORDO NATURALIS. PARONYCHIEAE TELEPHIEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. TETRANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx persistens tetrasepalus, sepalis cartilagineo-marginatis. Corolla tetrapetala, petalis membranaceis fimbriatis. Stamina quatuor petalis alterna. Ovarium superum ovatum. Stylus simplex cylindricus. Stigmata duo filiformia. Capsula styli basi persistente mucronata bivalvis unilocularis disperma. Semina subglobosa verrucosa. Embryo lateralis.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi bracteati. Bracteae duplici serie imbricatae. Calyx inferus persistens tetrasepalus, sepalis spathulatis acutis cartilagineo-marginatis carnosulis, basi attenuatis ita ut substipitata apparent, extimo paululum majore. Corolla infera tetrapetala, petalis cum sepalis alternantibus et illis minoribus, persistentibus, obovatis obtusis margine fimbriato-laciniosis membranaceis albidis translucentibus, basi nervo unico brevi vix conspicuo insignitis. Stamina quatuor, fertilia, libera, petalis alterna, ideo sepalis opposita, hypogyna, filamentis erectis petala excedentibus planis margine hyalinis, antheris oblongis obtusis bilocularibus, loculis basi distinctis. Ovarium superum liberum ovatum in stylum attenuatum, biovulatum. Stylus simplicissimus cylindricus, filamentis quadruplo brevior. Stigmata duo filiformia verrucoso-papillosa erecto-patentia, stylo duplo triplove longiora. Capsula obcordata, latitudine longitudinem duplo excedente, muricata, basi rotundata, apice emarginata styli basi persistente mucronata, secundum diametrum latitudinis usque fere ad basim bivalvis, unilocularis, disperma. Semina minuta subglobosa ad hilum paululum impressa, undique verrucosa, nigra, placentae centrali adhaerentia. Albumen magnum farinaceum. Embryo parvus ad hilum versus lateralis.

HABITUS.

Herba annua glaberrima humilis a basi ramosa, ramis cylindricis foliatis. Folia minuta alterna imbricata sessilia subulata utrinque stipulis fimbriatis instructa. Flores minuti axillares bini bracteati, bracteis octo duplici serie dispositis oblongis fimbriatis.

AFFINITAS.

Minuties partium floris et fructus dissecationem et disquisitionem difficillimam reddit. Ad ordinem Paronychiearum et quidem ad tribum Telephiearum e staminum fere hypogynorum, e styli simplicis et capsulae dehiscentis indole retuli; repugnat tamen numerus quaternarius partium floris et staminum, stigmata duo et capsula disperma. A Portulaceis differt staminibus calyci oppositis.

ETYMOLOGIA.

Nomen generis derivatum a *πολπωδης* lacinia vel fimbria, ob bracteas et corollam fimbriato – laciniosas.

POLPODA CAPENSIS. TAB. I.

Planta dubia. *Sieb. fl. capens. exs. n.* **151.**
Habitat in arenosis ad urbem Capstadt promontorii bonae spei. *Sieber.*

DESCRIPTIO.

Radix annua fere perpendicularis flexuosa ramosa albida dura tenax, crassitie pennae columbinae, quinque pollices longa et longior. Caulis a basi ramosus, ramis triquinque – sexpollicaribus, pennam columbinam crassis, arcuato-adscendentibus vel patentibus, simplicibus aut parce ramosis, ramulis patentibus. Folia alterna imbricata, ramos a basi usque ad apicem vestientia, minuta lineam vix excedentia, subulata acuta patentia glaberrima uninervia margine revoluta, basi utrinque in stipulas ovatas acuminatas fimbriatas membranaceas tenues albas nervis parallelis obsoletis notatas instructa. Flores minuti axillares sessiles plerumque bini, rarius solitarii aut terni, basi bracteis octo in duobus seriebus dispositis oblongis fimbriatis membranaceis scariosis hyalinis calyce paulo minoribus muniti. Calyx tetrasepalus patens glaberrimus. Corolla tetrapetala patens calycem subaequans. Stamina erecta calyce duplo longiora. Ovarium glaberrimum minutum. Stylus brevis cum stigmatibus erecto – patentibus longitudine staminum. Capsula minuta fucescens transversa, latitudine longitudinem duplo superans emarginata mucronata, lateribus rotundata, undique muricibus parvis exasperata, valvis patentibus.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA I.

1. Tota planta, naturali magnitudine.
2. Folium a latere visum,
3. Folium explicatum a dorso visum,
4. Florum fasciculus, bracteis deflexis,
5. Flos singulus, bracteis abscissis,

} aucta.

6. Flos explicatus, magis auctus.
7. Capsula,
8. Eadem ex alto visa,
9. Semen de latere visum,
10. Idem de dorso visum,
11. Idem transversim sectum,

} aucta.

STEUDELIA.

ORDO NATURALIS. PARONYCHIAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. PENTANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx persistens pentasepalus, sepalis margine et interne petaloideis. Corolla nulla. Stamina quinque sepalis alterna imo calyci inserta. Ovarium superum subglobosum. Stylus simplex. Stigma globosum. Capsula lenticularis oblique acuminata punctata evalvis indehiscens monosperma.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx persistens inferus pentasepalus, sepalis oblongis obtusis herbaceis margine et interne petaloideis albis aequalibus patentibus, anthesi peracta conniventibus. Corolla nulla. Stamina quinque imo calyci inserta fertilia libera sepalis alterna, filamentis erectis sepala excedentibus planis margine hyalinis, antheris ovatis obtusis bilocularibus. Ovarium superum liberum subglobosum uniovulatum apice obliquo. Stylus simplicissimus cylindricus filamentis aequilongus. Stigma globosum simplex terminale. Capsula subrotunda lenticularis anceps marginata acuminata, acumine obliquo subincurvo, puntatissima, indehiscens evalvis monosperma calyce tecta. Semen ovatum album erectum. Albumen farinaceum. Embryo periphaericus.

HABITUS.

Herba annua glaberrima, caule decumbente dichotomo, ramis patentibus. Folia verticillata inaequalia linearia. Flores parvi pedicellati axillares fasciculati.

AFFINITAS.

De loco in ordine naturali Paronychiaearum nullum dubium, quum affinitas cum Herniaria nimis clara. — Valde simile est hoc genus Adenogrammati Mollugo Reichenb., quod quoque ad Paronychiaeas Illecebraeas referrendum, sed differt calyce persistente nec basi circumscisse deciduo, stigmate globoso nec bifido, capsula lenticulari ancipite oblique acuminata punctatissima nec ovata acuminata subtriloba verrucis undique obtecta.

ETYMOLOGIA.

Dicatum est hoc genus celeb. *Steudelio* nomenclatoris botanici auctori, unionis itinerariae botanicae indefesso promotori, plantarum capensium ab Ecklonio missarum felici commentatori. Genera Steudeliae nomine insignita fatentibus ipsis auctoribus corruerunt; sic Steudelia brasiliensis Spr. est Erythroxylum havanense, et Steudelia racemosa et cymosa Mart. sunt Leoniae species.

STEUDELIA GALIOIDES. TAB. II.

Pharnaceum glomeratum. *Steud. et Hochst. pl. exs. capens. n.* 828.
Habitat in arenosis basis montis Diaboli ad Promontorium bonae spei. *Ecklon.* ☉. Fl. Septembri.

DESCRIPTIO.

Radix annua perpendicularis flexuosa subsimplex albida. Caules plures spithamei procumbentes diffusi teretes glaberrimi foliati dichotome ramosi, ramis oppositis teretibus glaberrimis, internodiis inferioribus bipollicaribus. Folia verticillata, inferiora et media deflexa sena usque dena inaequilonga linearia mucronato-aristata plana carnosula viridia exstipulata, suprema terna vel quaterna minora patentia. Flores quatuor ad octo, axillares fasciculati parvi pedicellati, pedicellis brevibus inaequalibus capillaribus glaberrimis unifloris. Calyx semilinea paulo longior pallide viridis, apice et interne albus petaloideus. Capsula calyce duplo brevior lenticularis anceps oblique acuminata, nigricans, punctatissima.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA II.

1. Ramus, naturali magnitudine.
2. 3. Folia ex uno verticillo diversa, aucta.
4. Caulis particula cum verticillo foliorum et fasciculis florum, aucta.
5. Flos integer, auctus.
6. Capsula, aucta.
7. Capsula longitudinaliter secta, aucta.
8. Capsula transversim secta, aucta.
9. Semen, auctum.

DIDYMONEMA.

ORDO NATURALIS. CYPERAREAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. HEXANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Panicula foliata. Bracteae aristatae trilobae, suprema florifera. Perigonium tritepalum patens, tepalis ovatis mucronatis. Stamina sex, filamentis per paria approximatis. Ovarium ovato-lanceolatum. Stylus filiformis deciduus. Stigmata tria filiformia. Caryopsis ovato-lanceolata triquetra. Semen oblongum.

CHARACTER NATURALIS.

Spicae subovatae paniculatae basi folio suffultae, bracteis numerosis undequaque imbricatis ovatis trilobis aristatis nervosis instructae, inferiores omnes vacuae, suprema florifera. Flores hermaphroditi. Perigonium inferum tritepalum patens, tepalis ovatis nervo medio crasso excurrente mucronatis cartilagineo-membranaceis basi nervulis lateralibus obsoletis vix conspicuis insignitis, in alabastro imbricatim sese amplexantibus. Stamina sex hypogyna: filamenta per paria approximata filiformia tenuia; antherae lineares apiculatae biloculares. Ovarium superum ovato-lanceolatum triquetrum glaberrimum. Stylus filiformis longitudine filamentorum, deciduus. Stigmata tria filiformia obtusa. Caryopsis ovato-lanceolata acuta triquetra nitida, parietibus cartilagineis crassiusculis. Semen oblongum teretiusculum utrinque obtusum. Albumen farinaceum.

HABITUS.

Herba perennis facie Schoeni. Radix fibrosa. Caulis teres foliatus simplex. Folia vaginantia teretia filiformia, vagina integra. Panicula terminalis foliata. Bracteae nigro-fuscae.

AFFINITAS.

A genere Gahnia valde differt, ut icones Forsteri, Gaertneri in Lamarkio repetitae et Labillardieri edocent. Ad nostrum genus verosimiliter referrenda Lampocarya hexandra Rob. Brown, seu Gahnia trifida Labill. nov. Holl. 1. p. 89. t. 116.

HISTORIA.

Jam anno elapso hoc genus nominavi, sed nomen primum e male comprehensa floris fabrica fundatum retinere non possum, quare novum et idoneum impono.

ETYMOLOGIA.

Derivatum nomen generis a *διδυμος* gemimus et *νεμα* filamentum, ob filamenta per paria approximata.

DIDYMONEMA FILIFOLIA. TAB. III.

Gahnia psittacorum. *Sieb. agrostot. exs. n.* 13.
Epiandria teretifolia. *Presl in Isis* 1828. *tom.* 21. *fasc.* 3. 4. *p.* 270.
Habitat in campis Novae Hollandiae. *Sieber.*

DESCRIPTIO.

Radix perennis, radiculis fuscis filiformibus flexuosis subsimplicibus. Caulis bipedalis et longior, basi pennam anserinam crassus, erectus glaberrimus foliatus, basi vaginis foliorum emarcidis vestitus. Folia semipedalia usque pedalia convoluto – filiformia acutissima flexuosa glaberrima erecto-patentia, margine apicem versus scabra, basi canaliculata dilatata, vaginis integris cylindricis striatis glabris eligulatis. Panicula usque spithamea terminalis ramosissima. Rami ramulique patentes foliis suffulti teretes glaberrimi, inferiores sesquipollicares. Spicae fere semipollicares alternae breviter pedicellatae ovatae multiflorae. Bracteae (glumae auctorum) nigro – fuscae alternae imbricatae ovatae concavae multinerviae trilobae, lobis lateralibus lanceolatis acutiusculis, lobi medii majoris nervo dorsali crasso in aristam longam rectam excurrente. Flos in axilla bracteae summae sessilis solitarius. Perigonium albido – virescens. Staminum quodque par uno lateri ovarii respondens. Stylus et stamina bracteas superantia, posteriora anthesi absoluta varie torta et flexuosa persistentia. Ovarium albidum acute triquetrum. Caryopsis flavescens perigonii longitudine.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA III.

1. Tota planta magnitudine naturali.
2. Spica seorsim representata, aucta.
3. Flos ante anthesim perigonio adhuc clauso, auctus.
4. Flos integer explicatus, magis auctus.
5. Caryopsis, aucta.
6. Caryopsis transversim secta, aucta.

SCYPHAEA.

ORDO NATURALIS. HYPERICINEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. POLYANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx pentasepalus deciduus. Petala quinque aequalia oblonga sepalis alterna. Stamina hypogyna numerosa ordine multiplici disposita, filamentis antheras superantibus apice dilatatis et cyathiformibus. Ovarium sessile lineari-lanceolatum quadriloculare. Stigma sessile capitatum. Capsula lineari-lanceolata quadrilocularis, quadrivalvis? Placentae centrales quatuor, valvis oppositae.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx inferus herbaceus pentasepalus, sepalis aequalibus oblongis obtusis patentibus, duobus interioribus paulo tenerioribus, ante anthesim imbricatis, post anthesim reflexis, deinde omnibus deciduis. Petala quinque sepalis alterna, illis aequilonga, aequalia, obovato-oblonga. Stamina hypogyna numerosa, ordine multiplici disposita subaequalia: filamenta filiformia erecta supra antheram prolongata et in flavescentem semiglobosum apertum cyathum dilatata; antherae oblongae biloculares, loculis linearibus parallelis obtusis extus dehiscentibus, apice inter se basim cyathi filamenti recipientibus. Ovarium sessile erectum lineari-lanceolatum petalis brevius, quadriloculare. Stylus nullus. Stigma sessile capitatum persistens. Capsula lineari-lanceolata teres quadrilocularis, quadrivalvis? polysperma? Placentae quatuor axi capsulae affixae convexae valvis oppositae.

HABITUS.

Arbor. Rami oppositi erecti secundive, foliati. Folia exstipulata opposita simplicia, petiolis connato-amplexicaulibus. Racemi axillares multiflori, floribus pedicellatis.

AFFINITAS.

Inter genera primae tribus Hypericinearum suum occupat locum, tamen ab omnibus generibus hujus tribus et totius ordinis Hypericinearum signis gravibus differt, nempe stylo nullo, stigmate unico capitato, filamentorum apicibus cyathiformibus cum glandulis apicalibus antherarum Adenantherae affinitatem quamdam indigitantibus, fructu capsulari quadriloculari, placentis centralibus valvis oppositis. Genus igitur ad Visneam accedens, tamen diversissimum. Si fructus immaturus superficialiter cernitur, Swartziam refert. Cum Capparideis nullam aliam affinitatem habet, quam quae e numero quinario sepalorum et petalorum et e staminum numerosorum situ hypogyno derivatur.

HISTORIA.

Quamquam amantissimus frater hoc genus jam nomine Monoporinae salutarit, tamen e male intellecta structura floris et fructus et inde erronea icone ac vix inter Botanicos cognita descriptione satis duxi, amplam descriptionem concinnandi et nova icone illustrandi. Nam frater meus huic plantae loculos antherae ambos unico foramine sese aperientes et ovarium uniloculare attribuit, ordinique Capparidearum adscripsit.

ETYMOLOGIA.

Nomen hujus generis derivatum a *κυφος* poculus, quia filamenta apice poculum seu scyphum gerunt.

SCYPHAEA RACEMOSA. TAB. IV.

Capparis commutata. *Sieb. flor. martin. exs. n.* 304. *Sprng. neu. entdek.* 3. *p.* 57. *syst. veg.* 2. *p.* 577. *Cand. prod.* 1. *p.* 253.
Monoporina oenotheroides. *J. S. Presl rostlin. tom.* 2. *pars.* 2. *p.* 277. *t.* 41. *f.* 2.
Habitat in insula Martinica. *F. Kohaut.*

DESCRIPTIO.

Arbor, ut defunctus Kohaut dixit, mediocris, ramis brunneo-fuscis oppositis patentibus teretibus aut teretiusculis glabris laevibus foliatis, aut erectis aut parum secundis, juvenibus albido-farinosis. Stipulae nullae. Folia ultra quatuor pollices longa, pollice latiora, opposita, petiolata, pendula, oblongo-lanceolata acuminata integerrima plana herbacea basi acuta, utrinque glabra, supra intense viridia, subtus pallidiora, novella subtus uti rami juvenes albido-farinosa. Venae foliorum fere pinnatae apice bifidae, ramo inferiore cum mox subsequente vena anastomosante. Petioli semipollicares patentes canaliculati cum opposito mediante tenui membrana connati. Racemi folio duplo breviores axillares oppositi simplices patentes, pedunculis pollicaribus teretiusculis albido-farinosis insidentes, octo-duodecimflori. Pedicelli tres lineas longi, alterni aut subopposititi, patentes angulati uniflori albido-farinosi, apice paulisper crassiores. Sepala oblonga obtusa plana viridia tres lineas longa, interiora duo teneriora albida. Petala aequalia obovato-oblonga obtusa alba sepalis aequilonga. Stamina petalis duplo breviora flava. Ovarium petalis aequilongum aut vix brevius, erectum. Capsula (immatura) novem lineas longa, vix lineam lata, erecta recta aut subfalcata, teres. Semina non vidi, cum omnes capsulas, quamquam immaturas, vacuas reperi.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA VI.

1. Ramus Scypheae racemosae, naturali magnitudine.
2. Calyx aversa facie, bis auctus.
3. Petalum, bis auctum.
4. Stamen, auctum; *a* loculus antherae ruptus, *b* processus poculiformis filamenti.
5. Ovarium, anthesi jam peracta, auctum.
6. Segmentum transversum capsulae, ex alto visum, auctum.
7. Capsula transversim secta, pariete anteriore demto, aucta.

LEPISIA.

ORDO NATURALIS. CYPERACEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. TRIANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Panicula racemosa subsimplex. Bracteae undique imbricatae ovatae, supremae duae floriferae. Flos supremus hermaphroditus, inferior masculus pistillo incompleto. Rhachicula recta. Stamina tria. Ovarium lanceolatum triquetrum basi perigonio tripartito membranaceo cinctum. Stylus filiformis basi dilatata triquetra muricata persistente. Stigmata tria filiformia. Caryopsis lanceolata triquetra basi styli acuminata. Semen oblongum.

CHARACTER NATURALIS.

Panicula subsimplex racemosa. Spicae oblongae adpressae basi foliis suffultae, bracteis sex-octo undique imbricatis ovatis nervosis constantes, supremis duabus floriferis acutis, reliquis vacuis acuminatis. Rhachicula recta. Flores monoici, flos nempe terminalis hermaphroditus fertilis, mox inferior masculus pistillo sterili imperfecto semper marcescente. Flos fertilis. Perigonium hypogynum profunde tripartitum membranaceum scariosum albidum, ovario multo brevius, laciniis ovatis acuminatis adpressis. Stamina tria hypogyna. Filamenta linearia elongata exserta. Antherae lineares obtusae- Ovarium superum lanceolatum acute triquetrum glaberrimum laeve a styli basi linea transversali distinctum. Stylus longitudine filamentorum filiformis deciduus scaber, basi dilatata triquetra muriculata et cum ovario sic conferruminata ut quasi unum corpus efficiat et inde persistente. Stigmata tria filiformia glanduloso-scabra erecto-patentia. Caryopsis basi styli persistente acuminata et illa paulo brevior, triquetra laevissima glabra. Semen oblongum. Albumen farinaceum. Flos sterilis. Stamina ut in flore fertili. Ovarium minutum subglobosum. Stylus tenuior glaber basi non dilatatus. Stigmata tenuiora glabra.

HABITUS.

Herba perennis facie Schoeni. Radix fibrosa. Caulis teres foliatus simplex. Folia vaginantia teretia filiformia flexuosa, vaginarum margine membranaceo diversimode fisso et cancellato. Panicula terminalis. Bracteae fuscae.

AFFINITAS.

Differt a Schoeno perigonii tripartiti laciniis membranaceis ovatis, rhachicula recta, bracteis undique imbricatis; a Lepidospermate perigonii laciniis tantum tribus et basi liberis, styli basi dilatata triquetra pyramidata persistente, caryopside triquetra lanceolata, rhachicula recta. E styli basi dilatata persistente quoque aliqua affinitas cum Rhynchospora patet.

HISTORIA.

Species hujus generis inter Schoeni et Lepidospermatis species militabat. Omnes Schoeni species, europaeis exceptis, novum et accuratum examen requirunt, nam multa huic generi aliena conglomerata sunt. A Lepidospermate species capenses excludendae, nam Lepidosperma involucrata R. S. (Schoenus involucratus Vahl) et Lepidosperma thermale (Schoenus thermalis Vahl) una cum Schoeno dactyloide ad meum genus Trichoballia pertinent.

ETYMOLOGIA.

Nomen generis derivatum a *λεπίς* squama, ob perigonii lacinias squamaeformes.

LEPISIA USTULATA. TAB. V.

Schoenus ustulatus. *Lin. mant.* 178. *Thunb. prod.* 16. *fl. capens.* 1. *p.* 353. *Willd. sp.* 1. *p.* 263. *Vahl enum.* 2. *p.* 222. *Roem. Schult. syst. veg.* 2. *p.* 70. *Spr. syst. veg.* 1. *p.* 191.

Schoenus. *Rottb. gram. p.* 63. *t.* 18. *f.* 1.

Habitat ad Caput bonae spei. *Sieber.*

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa perennis pallida flexuosa, e collo plures caules emittens. Caulis bipedalis erectus teres foliatus glaberrimus firmus, basi vaginis foliorum emarcidis vestitus. Folia innovationum fasciculata erecta rigidula filiformia tereti-involuta apice varie flexa, margine scabra, pedalia, caulina plerumque quatuor remota, inferiora approximata radicalibus simillima, superiora breviora. Vaginae semi-bipollicares, inferiores lateribus membranaceae fusco-nigricantes reticulato-cancellatae. Panicula terminalis racemosa aut subspicata simplex aut composita, foliata. Spicae folio suffulciente multo breviores lanceolato-oblongae erectae glaberrimae semipollicares, superiores approximatae sessiles subsolitariae, inferiores remotiores pedunculo solitario triquetro angulis scabro plus minus exserto insidentes, plerumque duae tresve. Bracteae fuscae ovatae nervosae glaberrimae, inferiores vacuae longe acuminatae, nervo dorsali crassiore, supremae duae floriferae acutae teneriores pallide fuscae enerves concavae. Flos terminalis hermaphroditus fertilis, inferior masculus. Perigonii hypogyni laciniae adpressae ovatae acuminatae membranaceae albidae, ovario et caryopside multoties breviores. Caryopsis styli basi computata stylo triplo brevior a styli basi linea transversa dictinctissime divisa. Murices styli basis lanceolati acuminati patentissimi aut reversi.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA V.

1. Tota planta naturali magnitudine.
2. Ramus paniculae, auctus.
3. Spica, aucta.
4. Spica ex alio latere visa, aucta.
5. Rhachicula spicae cum floribus, aucta.
6. Flos terminalis hermaphroditus et fertilis, auctus.
7. Flos terminalis demta bractea, magis auctus.
8. Caryopsis, aucta.

THYSANACHNE.

ORDO NATURALIS. GRAMINEAE BROMEACEAE.

CLASSIS ET ORDO LINNEI. TRIANDRIA DIGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Panicula composita. Spiculae binae biflorae, altera brevius pedicellata. Glumae membranaceae, superior acutissima, inferior minor acuta. Flos inferior masculus bipaleaceus, paleis membranaceis, inferiore truncata biloba, lobis ciliatis, superiore minore integra ciliata. Stamina tria. Flosculus superior hermaphroditus, basi pubescens, bipaleaceus, palea inferior arista fracta tortili terminata, superior bidentata ciliata. Stamina tria. Lodicula non visa. Caryopsis oblonga, libera, basi styli coronata.

CHARACTER NATURALIS.

Axis paniculatus. Panicula composita. Spiculae binae biflorae pedicellatae, pedicello altero breviore. Glumae membranaceae quinquenerviae dorso apice scabrae, inferior ovata acuta, superior duplo longior acutissima. Flos inferior masculus bipaleaceus, palea utraque membranacea diaphana, inferior gluma inferiore paulo major ovata trinervis truncata apice biloba, lobis divergentibus tridentato-ciliatis, superior minor tenerior ovata acuta ciliata enervis. Stamina tria, filamentis filiformibus, antheris linearibus. Rudimentum ovarii minutum oblongum sine stylo aut stigmatibus. Flos superior hermaphroditus inferiore minor basi pilis sat longis erectis obvallatus bipaleaceus, palea inferior oblonga concava extus scabra enervis apice in aristam spicula triplo longiorem fractam tortilem scabram excurrens, superior inferiorem subaequans ovata bidentata ciliata tenerior trinervis, nervis versus apicem evanidis. Stamina tria, filamentis filiformibus hyalinis, antheris linearibus obtusis. Ovarium oblongum teres. Stylus ovario longior filiformis erectus. Stigmata duo aspergilliformia erecto-patentia. Lodiculas non vidi. Caryopsis oblonga compressiuscula utrinque obtusa diaphana, basi styli dilatata et stylo ipso quamquam abbreviato et stigmatibus coronata, libera, paleis inclusa.

HABITUS.

Herba perennis Avenae flavescentis facie. Radix fibrosa. Caulis teres foliatus simplex. Folia plana pilosa. Panicula terminalis multiflora.

AFFINITAS.

Omnino affine genus Arrhenathero, sed peculiari situ et structura florum toto coelo diversum. Cum quodam e Panicearum genere vix ullus Botanicorum confudet. Ante Avenam optime collocatur. Quamquam extra omne dubium positum est, glumas paleasque meras bracteas esse, tamen satius putavi terminos hos conservare.

ETYMOLOGIA.

Nomen habet a θυσανος fimbria et αχνη palea.

THYSANACHNE SCOPARIA. TAB. VI.

Habitat in insula Martinica. *F. Kohaut ex Sieb. fl. martin. exs. n.* 264.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa pallida, fibris flexuosis simplicibus, plures caules emittens. Caules sesqui-usque tripedales simplicissimi erecti stricti teretes tenuissime striati glaberrimi foliati. Folia infima semipollicaria lineam lata, reliqua patentia octo ad duodecim pollices longa quatuor lineas lata linearia acuminata plana striato-nervosa utrinque pilosa. Ligula nulla, sed ejus loco series pilorum longorum exsertorum alborum. Vaginae teretes paululum praesertim ad nodum ampliores longitudinaliter fissae striatae apicem versus pilosae. Panicula pedalis, rarius brevior, composita erecta. Rhachis angulata glaberrima striata. Rami erecto-patentes numerosi densi tripollicares angusti fasciculatim ramulosi internodiis rhacheos multoties longiores angulati laevissimi glaberrimi, fere usque ad basim spiculis obsiti, infimi fasciculati, superiores verticillati. Spiculae parvae pallide virides aut viridiflavescentes, denique fuscescentes, sesquilineam longae erectae.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA VI.

1. Tota planta naturali magnitudine.
2. Spicula, aucta.
3. Spicula in anthesi, aucta.
4. Palea inferior floris masculi a dorso visa, aucta.
5. Palea inferior floris masculi ab interiore facie visa, aucta.
6. Palea superior floris masculi cum staminibus et rudimento pistilli, aucta.
7. Palea inferior floris hermaphroditi a dorso visa, arista abscissa, aucta.
8. Palea inferior floris hermaphroditi paleam superiorem amplectens, arista abscissa, aucta.
9. Flos hermaphroditus cum palea superiore, auctus.
10. Caryopsis, aucta.
11. Caryopsis transversim secta, aucta.

XIPHOCARPUS.

ORDO NATURALIS. LEGUMINOSAE GALEGEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. DIADELPHIA DECANDRIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx urceolato-campanulatus subbilabiatus quinquedentatus, dentibus ovatis, duobus superioribus usque ante apicem coalitis, infimo reliquis paulo longiore. Petala aequilonga: vexillum orbiculatum reflexo-patentissimum; alae carina emarginato-bifida aequilongae. Stamina decem diadelpha, liberum basi geniculatum. Ovarium breviter stipitatum lineare multiovulatum. Stylus adscendens semiteres extus barbatus. Stigma obtusum. Legumen breviter stipitatum lineare elongatum compressum polyspermum. Semina reniformia.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx persistens, tubo urceolato-campanulato brevi basi superne gibbosulo, limbo subbilabiato quinquedentato, dentibus ovatis acutiusculis, duobus superioribus connatis apice liberis, infimo lateralibus paulo longiore. Corolla calyce multoties longior papilionacea: vexillum lamina orbiculata integerrima reflexo-patentissima; alae obovatae liberae vexillo vix breviores, carinae adpressae; carina genitalia includens obtusa emarginato-bifida, lobis obtusis. Stamina diadelpha decidua: filamenta novem in tubum membranaceum superne longitudinaliter fissum concreta, decimum superum aequilongum liberum ad basim geniculato-inflexum; antherae ovales biloculares. Ovarium breviter stipitatum lineare compressum acuminatum sericeo-pubescens multiovulatum. Stylus adscendens plano-convexus, latere convexo externo ultra dimidium ab apice barbatus, latere interno planus sulco tenui longitudinali puberulo exaratus. Stigma terminale obtusum glabrum. Legumen breviter stipitatum lineare plano-compressum rectum velutino-pubescens, basi acuminatum, apice oblique acuminatum stylo persistente mucronatum deca-dodecaspermum uniloculare bivalve, valvis planis membranaceis dehiscentibus. Semina compressa reniformia fusca.

HABITUS.

Arbor frutexve sit, ignotum. Rami inermes elevato-striati pube adpressissima sericei. Stipulae caulinae subulatae. Folia alterna pinnata cum impari, multijuga, decidua. Racemus terminalis erectus multiflorus. Pedicelli fasciculati uniflori. Bracteae ad basim pedicellorum, parvae. Calyx sericeo-pubescens. Corolla speciosa alba, vexillo extus velutino. Legumen tripollicare.

AFFINITAS.

Clar. Sieber nostram plantam Robiniae a celeberrimo Candollio recte depositorium diversissimarum specierum nuncupatae adnumeravit, a qua calyce urceolato-campanulato, subbilabiato, dente inferiore majore, vexillo integro, filamento libero ad basim geniculato, stylo semitereti, stigmate obtuso glabro, racemis terminalibus, ramis inermibus differt. A Lonchocarpo differt limbo calycis inaequaliter quinquedentato subbilabiato, ve-

xillo integro, alis liberis, carina emarginata, stylo semitereti antice barbato, legumine polyspermo. A Poitaca differt calyce, corolla, staminibus, stylo, seminibus et inflorescentia.

ETYMOLOGIA.

Derivatum nomen e ξιφος gladius et καρπος fructus, ob leguminis recti plano-compressi longitudinem.

XIPHOCARPUS MARTINICENSIS. TAB. VII.

Robinia sericea. *Sieb. fl. mart. exs. n.* 181.
Habitat in Martinica. *Kohaut.*

DESCRIPTIO.

Arbor frutexve sit, mihi ignotum. Rami, quorum adsunt frusta pedalia et longiora, inermes teretes lineis parum elevatis obtusis subangulati, foliati, undique pilis adpressissimis densissimis aetate rufescentibus pubescentes. Stipulae caulinae subulatae erectae ultra duas lineas longae. Folia alterna pinnata cum impari erecto-patentia. Petiolus quadri-sexpollicaris sericeo-pubescens inermis, superne longitudinaliter canaliculatus, dorso convexus, basi incrassatus inarticulatus deciduus. Petioluli lineam longi teretes sericeo-pubescentes oppositi, petiolo inarticulati. Foliola octo-decemjuga opposita sesquipollicem longa, quatuor lineas lata vel paulo latiora, oblongo-lanceolata aristato-mucronata, supra glabra, subtus pallida sericeo-pubescentia, nervo medio et lateralibus pinnatis simplicibus prominulis. Racemus terminalis pedunculo erecto uni-bipollicari sericeo-pubescente tereti striato insidens, erectus multiflorus simplex tri-septempollicaris. Bracteae ad basim pedicellorum rhachi angulatae sericeo-pubescenti affixae, lanceolatae acuminatae scariosae albido-pubescentes persistentes, vix lineam longae. Pedicelli usque semipollicares teretes sericeo-pubescentes ebracteolati fasciculati bini ternive, ante et sub anthesi patentes, post anthesim erecti. Calyx duabus lineis longior, sericeo-pubescens. Corolla alba. Vexillum decem lineas longum extus velutinum carinae et alis glaberrimis aequilongum. Legumen tripollicare tres lineas latum pube adpressissima sericeum. . Semina magnitudine Robiniae Pseudacaciae. — Pubes omnis exsiccatione rufescit.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA VII.

1. Ramus,
2. Petala,
} naturali magnitudine.
3. Genitalia,
4. Pistillum,
5. Calyx,
6. Leguminis pars cum semine.
} duplo aucta.

POEPPIGIA.

ORDO NATURALIS. LEGUMINOSAE CASSIEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. DECANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx subcampanulatus quinquedentatus basi superne gibbus, dentibus aequalibus. Petala quinque unguiculata, superiore caeteris majore. Stamina decem, filamentis rectis basi monadelphis, antheris foecundis. Ovarium compressum multiovulatum basi villosum. Stigma subsessile obtusum. Legumen compressum inerme.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx persistens urceolato-campanulatus basi superne gibbus, limbo quinquedentato, dentibus ovatis aequalibus. Corolla pentapetala, petalis perigynis obovatis unguiculatis patentibus, lateralibus et inferioribus aequalibus, superiore longiore latioreque. Stamina decem fertilia: filamenta persistentia glabra recta aequalia, basi in membranam perigynam connata et ideo monadelpha, caeterum libera; antherae ovales obtusae biloculares parvae. Ovarium stipitatum compressum acutum multiovulatum, sutura superiore rectum, inferiore convexum ciliatum, basi villosum. Stylus brevissimus teres. Stigma incurvum obtusum. Ovula subrotunda. Legumen compressum inerme uniloculare (ex immaturo).

HABITUS.

Arbor esse videtur exaltata, ramis teretibus petiolisque inermibus. Stipulae nullae. Folia simpliciter et abrupte pinnata, foliolis multijugis. Flores terminales paniculati mediocres flavi.

AFFINITAS.

Differt ab affini Caesalpinia Coulteria et Poinciania dentibus calycis aequalibus, filamentis glabris basi monadelphis, stigmate subsessili glabro obtuso, legumine basi villoso sutura superiore recto inferiore convexo, foliis simpliciter pinnatis, caule petiolisque inermi, a Caesalpinia differt porro petalo superiore majore.

ETYMOLOGIA.

Dicatum volui hoc genus memoriae clar. *Poeppig* indefessi per Cubam, Americam septentrionalem et nunc per Chilenses plagas peregrinatoris.

POEPPIGIA PROCERA. TAB. VIII.

Caesalpinia procera. *Poeppig pl. exs. cub.*
Habitat in sylvis siccis insulae Cubae. *Poeppig.* Flor. Julio.

DESCRIPTIO.

E nomine specifico plantae huic eleganti a cl. Poeppig imposito arbor esse videtur magnitudine insignis. Rami teretes glaberrimi laxi ramulisque patentibus inermes. Stipulae nullae. Folia alterna simpliciter abrupte pinnata patentia. Petiolus communis ramo inarticulatus quadri-quinquepollicaris inermis, subtus teres glaber, supra canaliculatus et in canaliculo pubescens, apice in mucronem tenuem nudum desinens, basi usque ad semipollicem nudus, caeterum foliolis provisus. Foliola sedecim-vigintibijuga opposita sessilia approximata patentia oblonga obtusa glabra basi inaequilatera, nempe latere superiore acutiuscula, inferiore rotundata, subtus pallidiora, quatuor — sex lineas longa, duas lata, versus apicem petioli sensim decrescentia, exsiccata facile decidua. Panicula terminalis usque fere ad apicem foliata, decomposita, patens, ramulis pubescentibus obconicis plerumque trichotomis, infimis oppositis vel suboppositis, reliquis alternis, ramulis secundariis ut plurimum bifloris et quoque obconicis. Pedicelli duas — quatuor lineas longi teretes pubescentes, infra medium bracteolis subrotundis minutis deciduis oppositis bracteolati. Calyx sexquilineam aequans, extus intusque puberulus, ad tertiam longitudinis suae partem in dentes quinque aequales ovatos obtusos divisus, quorum duo superiores ob gibbositatem calycis superiorem majores esse videntur. Petala tres et dimidiam lineas longa, obovata, unguiculata, ungue petalorum inferiorum et superioris canaliculato, lateralium planiusculo, patentia, superius reliquis quatuor aequalibus paulo longius et latius. Stamina decem petalis aequilonga, filamentis aequilongis parallelis fertilibus basi in membranam nectariiformem perigynam ima basi calyci arctissime adglutinatam distentis et sic monadelphis, antheris parvis aequalibus luteis. Pistillum calyce triplo longius. Legumen immaturum pollicare.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA VIII.

1. Ramus florifer, naturali magnitudine.
2. Corolla, aucta.
3. Calyx integer cum genitalibus, auctus.
4. Isdem longitudinaliter sectus cum pistillo et dimidio staminum, auctus.
5. Isdem cum pistillo anthesi jam absoluta, auctus.
6. Legumen immaturum, duplo auctum.
7. Superior petioli pagina cum foliolo, duplo aucta.

NEUROCARPUM CAJANIFOLIUM. TAB. IX.

N. frutescens erectum, caule tereti apice pubescente, foliis trifoliolatis, foliolis obovato-cuneatis retusis mucronatis subtus adpresse sericeo-pubescentibus, pedunculis axillaribus solitariis unifloris foliolo duplo brevioribus.

Habitat in locis siccis Americae meridionalis. *Herb. J. S. Presl.* ♃ Flor. Februario.

DESCRIPTIO.

Caulis fruticosus erectus simplex vel simplicissimus, inferne teres glabriusculus, id est, pilis brevibus adspersus, cinereus, superne subangulatus pilis adpressis mollibus densis subsericeus. Stipulae oppositae caulinae liberae ovatae acutae ultra duas lineas longae. Folia alterna petiolo brevissimo nempe lineam longo insidentia trifoliolata. Foliola sesquipollicem longa, quinque usque sex lineas lata, basi stipellis setaceis instructa, obovato-cuneata integerrima, apice rotundata retusa, breviter mucronata, basi attenuata, coriacea, supra glaberrima reticulato-venosa, subtus pilis adpressis densis sericea, nervo et venis primariis prominentibus, lateralia petiolulo villoso semilinea paulo longiori, medium majus petiolulo duas lineas longo apice villoso caeterum sericeo-pubescenti insidentibus. Pedunculi semipollicares axillares solitarii uniflori pubescentes teretes apice angulati bracteati, bracteis sesquilineam longis alternis vel suboppositis ovatis acuminatis striato-nervosis extus pubescentibus persistentibus. Pedicellus unam usque tres lineas longus pubescens teres apice bibracteolatus, bracteolis tres lineas longitudine et duas lineas latitudine superantibus ovatis acutis striato-nervosis aequalibus extus pilosis calyci adpressis persistentibus. Subinde ex axillis bractearum inferiorum pedicelli arbortientes emergunt. Flos fere bipollicaris resupinatus. Calyx tubuloso-campanulatus membranaceus, nervis decem laeviter prominentibus percursus, extus sericeo-pubescens, quinquefidus, laciniis ovatis acuminatis aequalibus erectis. Corolla papilionacea alba? petalis liberis: vexillum suborbiculatum emarginatum, lobis rotundatis, flabellato-venosum, complicatum, extus pubescens, ungue computato fere bipollicare; alae vexillo fere duplo breviores obovato-cuneatae obtusae longe unguiculatae glabrae; carina alis aequilonga ovata acuta glabra, genitalia fovens, longe unguiculata, margine superiore inferiorem amplexante. Stamina decem diadelpha. Ovarium oblongum tetragonum glabrum uniloculare quinqueovulatum, breviter stipitatum. Stylus filiformis glaber. Stigma capitellatum. Legumen sexdecim lineas longum stipitatum, stipite calyce et bracteolis pedicelli emarcidis diminutis tecto, cuneatum compresso-subtetraquetrum dehiscens uniloculare, styli basi indurata conica oblique mucronatum, valvis subcoriaceis oblique reticulato-venosis et nervo medio longitudinali valido prominente instructis, unde legumen tetraquetram figuram adipiscit. Semina utplurimum quinque, ovalia.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA IX.

1. Superior caulis pars.
2. Flos integer.
3. Alae et carina, vexillo in apice unguis abscisso.
4. Carina seorsim.
5. Genitalia.
6. Legumen.

HETERANTHERA SPICATA. TAB. X.

H. caulibus nudis sub spica unifoliatis, foliis petiolatis cordatis acuminatis petiolo basi vaginante, floribus sessilibus.

Pontederia azurea. *Poeppig pl. exs. cub.*

Habitat in humidis insulae Cubae. *Poeppig.* 2l. Flor. Aprili.

DESCRIPTIO.

Caules plures e radice perenni terrestri obliqua teretes simplicissimi usque ad ortum folii duos pollices alti, nudi, pennam Fringillae domesticae crassi, laete virides. Folium in summitate caulis solitarium petiolo sesqui-usque bipollicari canaliculato basi vaginante caulem amplexante subtus tenuissime striato insidens, cordatum ovatum acuminatum multinervium, nervis arcuatis, integerrimum glaberrimum viride, pollicem longitudine non superans, maxima latitudine sex lineas aequans. Folio opposita est bractea qua basis petioli dilatata (abortientibus nempe folii lamina et apice petioli) consideranda, ovata obtusa concava tenuiter membranacea, marginibus albida, quatuor ad quinque lineas longa, rarissime apice bifida. In summitate caulis inter folium et bracteam exsurgit spica pedunculo plerumque quatuor lineas longo teretiusculo insidens, solitaria linearis erecta sex usque triginta lineas longa, tri-usque tredecimflora. Flores alterni rhachi flexuosae angulatae erecto-adpressi sessiles distantes tres lineas fere longi. Perigonium inferum corollinum longe tubulosum, tubo duas lineas longo ovato-lanceolato translucenti-membranaceo tenuissime nervoso, limbo sexfido patente, laciniis tribus exterioribus linearibus obtusis univerviis pallide caeruleis, tribus interioribus oblongo-lanceolatis obtusis trinerviis azureis intensius punctatis. Stamina tria limbo ad basim laciniarum interiorum inserta et cum iis alterna, filamentis brevibus rectiusculis glabris inaequalibus; antheris oblongis erectis bilocularibus anticis flavis. Ovarium superum ovato-lanceolatum triquetrum paululum obliquum, dimidium tubi superans et ob teneritatem illius translucens. Stylus persistens filiformis glaber exsertus longitudine fere ovarii. Stigma capitatum. Capsula perigonio emarcido cincta sublanceolata trigona trilocularis, apice stylo persistente mucronata, angulis longitudinaliter dehiscens, polysperma, saepe torulosa. Semina duplici serie alternatim dissepimentis tenuibus completis adnata, erecta, subglobosa, longitudinaliter costata, rufula, minuta, costis acutis albidis. Albumen farinaceum. Embryo axilis orthotropicus.

Ab omnibus Heterantherae speciebus et a Pontederia diversissima, caule unifoliato tamen et statione terrestri ad Pontederias accedit.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA X.

1. Tota planta, naturali magnitudine.
2. Flos,
3. Pistillum,
4. Capsula,
5. Eadem longitudinaliter secta,
6. Eadem transversim secta,

} aucta.

7. Semen, magis auctum.
8. Idem transversim sectum, eodem modo auctum.

DORYCNIUM TORULOSUM. TAB. XI.

D. sericeo-pubescens, caulibus adscendentibus basi suffruticosis, foliis petiolatis, foliolis obovatis, stipulis breviter petiolatis cordato-ovatis inaequilateris, pedunculis ebracteatis tomentosis petiolum aequantibus, capitulis paucifloris, calycis hirsuti corolla et legumine dispermo toruloso duplo brevioris dentibus subulatis.

Habitat in insula Teneriffa. *Herb. J. S. Presl.* 4

DESCRIPTIO.

Caulis subpedalis teres tenuiter striatus adscendens simpliciter ramosus, foliatus, basi glabratus, superne pilis brevibus densis pubescens, ramis patentibus. Stipulae usque semipollicares, petiolo semilineam longo instructae, e basi inaequilatera cordata et rotundata ovatae obtusae patentes mucrone minutissimo superatae, pinnatim venosae, utrinque pilis brevibus densis albidis adpressis nitentibus pubescentes sericeae. Folia trifoliolata. Petioli sex-decem lineas longi patentissimi canaliculati dense pubescentes, pube patente. Petioluli semilineam longi inarticulati sericeo-pubescentes. Folia quinque-decem lineas longa, quatuor-sex lineas lata, obovata obtusa, minutissime mucronata, plana, pinnatim venosa, utrinque pilis brevibus densis albidis nitentibus adpressis pubescentia sericea, lateralia paulo minora subinde inaequilatera. In axillis praesertim superiorum foliorum obveniunt gemmae subglobosae villosissimae parvae. Pedunculi axillares et terminales, quinque-decem lineas longi, patentes, teretes, tomentosi, ebracteati. Capitula bi-tri-quadri-quinqueflora, laxa, non involucrata. Pedicelli duas lineas longi filiformes pube longiore quam partes hucusque descriptae vestiti, ebracteati, umbellati. Calyx duabus lineis paulo longior, pilis patentiusculis densis albidis hirsutus, subcampanulatus, tubo basi superne laeviter gibboso, limbo profunde quinquedendato, bilabiato, dentibus rectis lanceolato-subulatis tubo aequilongis, labii inferioris tribus subaequalibus, intermedio nempe vix longiore, labii superioris duobus labio inferiore paulo longioribus. Corolla papilionacea calyce duplo longior rosea glaberrima: vexillum obovatum complicatum, alae oblongae vexillo breviores carinam obtusam aequantes. Stamina decem diadelpha aequalia fertilia, decimum liberum rectum. Ovarium lineare compressum. Stylus filiformis rectus. Stigma capitatum ciliolatum. Legumen teretiusculum glaberrimum calyce duplo longius, ut plurimum dispermum, rarius monospermum, rarissime trispermum, a maturescentibus seminibus torulosum, semimaturum visum. Semina immatura videntur formam globosam indicare.

Cum D. recto quamdam affinitatem habet, minime tamen confundi potest ut e signis expositis sufficienter patet.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XI.

1. Dorycnium torulosum, naturali magnitudine.
2. Flos integer,
3. Ala,
4. Carina,
5. Calyx cum genitalibus,
6. Calyx cum legumine,

} aucta.

SCABIOSA TENUIFOLIA. TAB. XII.

S. setis pappi calyce denticulato duplo longioribus, corollis pubescentibus aequalibus involucro brevioribus, phyllis ex ovata basi lanceolatis, capitulis ovatis, caule erecto ramoso pubescente, foliis caulinis pinnatisectis, laciniis linearibus acutis elongatis integerrimis.

Habitat . . . . . *Herb. J. S. Presl.* 24

DESCRIPTIO.

Radix, folia radicalia et caulina inferiora, et caulis inferior pars deperdita. Caulis superior pars, quae ad manus est, ultrapedalis, teres, striatus, foliatus, ramosus, ramisque pube minuta densa albida undique cinereus. Rami oppositi erecti teretes striati foliati. Folia opposita glaucescentia, caulina rameaque usque ad nervum primarium pinnatisecta brevissime petiolata, petiolis basi connatis, laciniis linearibus acutis planis uninerviis, utrinque pube minuta albida vestitis, foliorum caulinorum ad ramos infimos ultrapollicaribus lineam latis, supremis et rameis minoribus. Pedunculi duobus pollicibus longiores, terminales et axillares, teretes tenuiter striati nudi rigidi pubescentes cinerei. Capitulum ovatum, ante anthesim ovato-subglobosum. Involucrum decaphyllum, phyllis ex ovata basi lanceolatis utrinque velutino-pubescentibus cinereis uninerviis liberis patentibus, extimis tres lineas superantibus, interioribus minoribus. Receptaculum cylindraceum obtusum paleaceum. Paleae scariosae ciliatae rigidae, apice utrinque pubescentes, calycis tubo longiores, exteriores oblongo-lanceolatae, interiores apicem capituli occupantes spathulatae acutae fere duplo longiores. Flores in apice capituli saepe abortientes. Calycis tubus obconicus sulcatus hirsutus cum ovario arctissime concretus, limbus scariosus campanulatus brevis argute denticulatus nervis rectis in apice denticulorum finientibus percursus. Pappi setae quinque scabrae limbo calycis duplo longiores. Corollae aequales, involucri phyllis paulo breviores, infundibuliformes quinquelobae pallide caeruleae, extus sericeo-pubescentes, lobis rotundatis, exteriore paulo majore ovato. Stamina quatuor, filamentis filiformibus longe exsertis, antheris linearibus. Stylus filiformis exsertus. Stigma capitatum. Fructus tetragonus profunde sulcatus albo-hirsutus calycis limbo persistente supra descripto munitus et pappo e setis quinque scabris pallide fuscis calycis limbo duplo longioribus basi in membranam brevissimam connatis constante coronatus.

Pertinet haec species ab omnibus hucusque notis diversissima ad sectionem primam *Sclerostemma*, cum Scabiosae genus optime in tres sectiones dividitur, quorum characteres lucidissime expositos vide in Mertensii et Kochii flora germanica.

Aduotari liceat Scabiosam australem a Trichera et Succisa ob fabricam fructus alienam excludendam esse. Nec minus Dipsacum pilosum et D. Gmelini a veris Dipsacis sejungendos esse putamus, cum involucro, paleis, calyce ac fructu differant.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XII.

1. Plantae superior pars naturali magnitudine.
2. Flos cum palea adjacente,
3. Fructus cum palea adjacente,
4. Palea sterilis e summitate capituli,

} aucta.

POLYTROPIA.

ORDO NATURALIS. LEGUMINOSAE GALEGEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. DIADELPHIA DECANDRIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx campanulatus glandulosus profunde quinquefidus, laciniis lanceolatis attenuato-acuminatis, inferiore longiore. Vexillum obcordatum infra medium angulato-dentatum. Carina basim versus cum alis conformibus connata. Stamina diadelpha. Ovarium ellipticum pubescens. Stylus filiformis glaber. Stigma globosum. Legumen stipitatum ovato-ellipticum utrinque acutum, reticulato-venosum, monospermum. Semina ovoidea strophiolata.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx inferus campanulatus glandulis globosis subsessilibus et sessilibus obsitus et pubescens, persistens, tubo ovato, limbo quinquefido, laciniis lanceolatis longe attenuato-acuminatis rectiusculis patentibus, quatuor superioribus aequalibus, inferiore quinta longiore tenuiore patentiore. Corolla calyce longior glabra: vexillum obcordatum complicatum apice adscendens, unguiculatum, infra medium utrinque dente brevi ovato acuto auctum, alis et carina longius; alae carinae conformes et aequilongae, a medio usque ad basim connatae. Stamina decem, diadelpha, fertilia. Filamenta novem usque fere ad apicem in tubum membranaceum tenuem superne longitudinaliter fissum pistillum foventem connata, apice adscendentia libera, decimum superum liberum paulo brevius. Antherae ovatae biloculares. Ovarium ellipticum compressum utrinque acutum tubo stamineo duplo brevius pubescens biovulatum. Stylus filiformis glaber, apice adscendens, filamentis longior. Stigma capitatum parvum ciliato-pubescens. Legumen stipiti unam lineam longo insidens ellipticum subobliquum compressum, basi acuminatum acutumve, apice styli basi persistente hamata mucronatum, reticulato-venosum, pubescens, uniloculare, monospermum, ovulo nempe altero abortiente. Semina ovoidea compressa, immatura tantum visa, strophiolo sat magno instructa.

HABITUS.

Frutex ramis subsimplicibus decumbentibus glabris. Folia persistentia bipinnata, foliolis linearibus. Stipulae ovatae a petiolo distinctae. Pedunculi axillares elongati pauciflori. Flores breviter racemosi penduli lutei parvi ebracteati.

AFFINITAS.

Ab omni hucusque cognito Leguminosarum papilionacearum genere foliorum compositione singulari differt. Quamquam nec semina matura eo minus germinationem vidi, tamen aberrare a veritate haud puto, si praesens genus ad subtribum Galegearum numero; differt quoque ab ommnibus Galegearum generibus, si calyx vexillum stamina ovarium et legumen, denique folia et color florum considerantur, nec cum Tephrosia alis carinae adhaerentibus gaudente confundi potest.

ETYMOLOGIA.

Derivatum nomen generis *α πολυτροπος* in multis modis divisus vel multiplex, ob folia diversimode divisa.

POLYTROPIA FERULAEFOLIA. TAB. XIII.

Glycine. ***Steud. et Hochst. pl. exs. cap. n.*** 329.
Habitat in arenosis fruticosis planitiei capensis. *Ecklon.* Floret Decembri.

DESCRIPTIO.

Frutex sempervirens a basi ramosus, ramis subsimplicibus decumbentibus diffusis, usque bipedalibus, basi pennam gallinaceam crassis lignosis, ramulisque glaberrimis teretibus tenuiter et laevissime striatis. Stipulae caulinae oppositae distinctae liberae ovato-lanceolatae acutae integerrimae planae minutae. Petioli pollicares usque sesquipollicares alterni canaliculati striati glaberrimi ad unum latus versi. Folia bipinnata, apice simpliciter pinnata, cum impari, tri-quadrijuga, pinnis infimis aut subinde et mediis petiolulatis trifoliolatis, petiolulis duas lineas longis basi pinnis simplicibus suffultis, pinnis pinnulisque sessilibus linearibus utrinque acutis planis uninerviis rectis rigidulis viridibus concoloribus glaberrimis tres ad quinque lineas longis. Si pinnae mediae simplices sunt, tunc sunt fere semper binatae. Pedunculi axillares solitarii ad idem latus ac folia versi, teretes glaberrimi erecti, florentes folio cum petiolo computato duplo, fructiferi triplo longiores. Racemus in pedunculis terminalis tri-sexflorus. Pedicelli declinati filiformes ebracteati lineam longi. Flores tres lineas longi penduli. Calyx basi subobliquus, tubo et basi laciniarum glandulis flavescentibus globosis sessilibus et subsessilibus obsitus, caeterum totus pube brevi adpressa pubescens. Corolla lutea glaberrima calyce paulo longior. Legumen fere maturum quinque lineas longum, ultra duas lineas latum, irregulariter reticulato-venosum et pube brevi pubescens, junius quoque glandulis globosis sessilibus sparsis obsitum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XIII.

1. Ramus Polytropiae ferulaefoliae, naturali magnitudine.
2. Flos,
3. Calyx,
4. Vexillum,
5. Alae et carina ab utroque latere visa,
6. Carina seorsim delineata,
7. Stamina et pistillum,
8. Legumen cum calyce,
9. Legumen longitudinaliter sectum,
10. Leguminis longitudinaliter secti alia forma,

} aucta.

KOLLERIA.

ORDO NATURALIS. FICOIDEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. OCTANDRIA TETRAGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx persistens quadripartitus, intus petaloideus. Petala nulla. Stamina octo imo calyci ad sinus inserta et in quatuor fasciculis disposita. Ovarium liberum subglobosum quadrisulcatum. Stigmata quatuor sessilia filiformia. Capsula depressa quadrangula quadrilocularis rimis quatuor cruciatim dispositis dehiscens, loculis monospermis. Semina ovata incurva seriatim tuberculata.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx inferus persistens quadripartitus erecto-patens, laciniis aequalibus ovatis obtusis trinerviis intus albo-petaloideis. Stamina octo in quatuor fasciculis laciniis calycinis alternis disposita. Filamenta binata lineari-lanceolata plana hyalina libera patentia calyce breviora persistentia. Antherae subrotundae biloculares terminales. Ovarium subglobosum quadrangulare quadriovulatum liberum. Stylus nullus. Stigmata quatuor filiformia teretia obtusa patentia persistentia. Capsula quadrata acutangula basi convexa, supra depresso-concaviuscula, quadrilocularis, apice rimis quatuor cruciatim dispositis dehiscens, valvis coriaceis, medio interne crista dissepimentum incompletum breve formante munitis, loculis monospermis. Semina ovata obtusa, supra medium incurva, nigra nitida, longitudinaliter seriatim obtuse tuberculata. Placenta centralis apice stigmata gerens. Hilum in curvatura seminis. Albumen farinosum. Embryo minutus lateralis.

HABITUS.

Herba annua ramosissima procumbens diffusa, tomento adpresso tenui sub lente tantum conspicuo tecta. Folia alterna lineari-lanceolata parva. Flores axillares solitarii sessiles minuti.

AFFINITAS.

Non neganda magna affinitas cum Aizoone, differt tamen numero quaternario partium floris et fructus, filamentis octo in quatuor fasciculis dispositis, loculis capsulae monospermis. A Sesuvio differt quoque numero quaternario partium floris et fructus, et capsula apice rimis cruciatim dispositis dehiscente tetrasperma. A Tetragonia praecipue differt capsula dehiscente. A Milto differt numero quaternario partium floris et fructus, capsula solitaria quadrivalvi quadriloculari. A Glino longe distat.

ETYMOLOGIA.

Dicatum est hoc genus memoriae *Francisci liberi Baronis de Koller*, exercitus austriaci Polemarchi locum tenentis, scientiarum omnium cultoris et promotoris, fautoris mihi semper venerandi.

KOLLERIA HERNIARIAEFOLIA. TAB. XIV.

Aizoon Herniaria. *Reichenb. in Sieb. fl. cap. exs. n.* 164.
Habitat in arenosis ad promontorium bonae spei. *Sieber.* ☉

DESCRIPTIO.

Caules uni-bipedales prostrati diffussi ramosissimi teretes basi lignosi, ramis ramulisque patentibus, alternis, calycibusque extus foliisque tomento tenui lentis ope tantum conspicuo velutinis. Folia tres quatuorve lineas longa, maxima latitudine lineam numquam attingentia, alterna, sessilia patentia plana lineari-lanceolata obtusa, basi attenuata. Flores axillares solitarii sessiles parvi erecti, vix lineam longi. Calyx extus virescens tomento supra in ramis descripto vestitus, intus petaloideus albus glaberrimus. Filamenta alba hyalina laciniis calycinis breviora et illis alterna, semper duo in uno fasciculo conjuncta. Antherae pallide luteae. Ovarium viridi-flavescens calyce quintuplo brevius. Stigmata ovario longiora albida glabra obtusa apice patentia. Capsula albida glabra calyce et filamentis persistentibus cincta et illo duplo brevior, valvis coriaceis. Semina in loculis solitaria, ovata obtusa, supra medium incurva, nigra, nitida, magnitudine fere seminis Papaveris.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XIV.

1. Ramus Kolleriae herniariaefoliae, naturali magnitudine.
2. Ramulus, auctus.
3. Flos apertus, auctus.
4. Capsula calyce clauso et staminibus cincta, aucta.
5. Capsula calyce et staminibus explicatis, aucta.
6. Capsula seorsim delineata, aucta.
7. Capsula longitudinaliter secta, aucta.
8. Semen, adhuc magis auctum.
9. Semen longitudinaliter sectum, eodem modo auctum.
10. Semen transversim sectum, eodem modo auctum.

MICROCHILUS.

ORDO NATURALIS. ORCHIDEAE NEOTTIEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. GYNANDRIA MONANDRIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Perigonium tripartitum, lacinia superiore tridentata, lateralibus lineari-lanceolatis. Labellum perigonio longius, subpendulum, apice dilatatum bilobum, basi calcaratum, calcare scrotiformi. Anthera lanceolata acuminata stigmate parallelo involucrata, bilocularis, loculis approximatis. Pollinis massae pulvereae.

CHARACTER NATURALIS.

Perigonium parvum profundissime tripartitum, laciniis duabus lateralibus rectis horizontalibus lineari-lanceolatis obtusis, superiore erecta oblonga tridentata lacinias tres connatas indicante. Labellum subpendulum perigonii laciniis lateralibus praesertim longius, angustum, basi calcaratum, lamina apice dilatata et in lobos duos divaricatos divisa. Calcar scrotiforme pendulum. Gynostemium sessile parvum. Anthera terminalis lanceolata acuminata recta aut apice incurva, bilocularis, loculis approximatis. Pollinis massae pulvereae cohaerentes. Stigma ovatum, acuminatum, aut integrum aut bifidum, antherae parallelum et illam basi amplexans, apice liberum. Ovarium oblongo-lanceolatum incurvum pubescens.

HABITUS.

Rhizoma elongatum repens in arboribus putridis. Folia subradicalia lata plana nervosa, in petiolum basi vaginantem attenuata. Scapus erectus vaginis obsitus. Spica linearis elongata. Flores parvi bracteis breviores.

AFFINITAS.

A generibus Orchidearum Neottiearum differt in eo, quod, si quidem in uno alterove genere unus alterve character essentialis nostri generis inveniatur, tamen in nullo hucusque noto omnes characteres simul sumti inveniuntur, uti perigonium tripartitum, labellum angustum apice bilobum, calcar scrotiforme, stigma ovatum.

HISTORIA.

Genus jamjam a me in Reliquiis Haenkeanis expositum recenti studio exploratum iconibus additis firmioribus nunc insidet pedibus.

ETYMOLOGIA.

Nomen desumtum a *μικρός* parvus et *χειλος* labellum.

MICROCHILUS MAJOR. TAB. XV.

M. stigmate integro, anthera recta, labelli lobis denticulo interstinctis, ovario calcar aequante, foliis lanceolatis.

M. major. *Presl in reliq. Haenk. tom.* 1. *p.* 94.

Habitat in montanis provinciae huanoccensis Peruviae. *Haenke.* 2

DESCRIPTIO.

Rhizoma horizontale repens, radicibus oppositis verticillatisque simplicibus filiformibus elongatis flexuosis densissime villosis. Scapus pedalis erectus, inferne foliatus, superne vaginatus pubescens. Folia semipedalia aut longiora, ultra duos pollices lata, lanceolata acuminata subobliqua glabra multinervia, in petiolum brevem dilatatum basi vaginantem amplexantem attenuata. Vaginae foliiferae laxae, superiores aphyllae ovato-lanceolatae acuminatae membranaceae pellucidae nervosae, supremae magis approximatae. Spica quinquepollicaris terminalis linearis densa. Rhachis pubescens. Bracteae semipollicares lanceolatae acuminatae membranaceae flore sublongiores. Flores parvi nutantes. Perigonii laciniae duae laterales duas lineas longae, horizontales parallelae lineari-lanceolatae obtusae uninerviae, superior lacinia paulo longior erecta oblonga carinata acute tridentata, dente quolibet sufficienter madefacto et contra lucem viso nervo tenuissimo munito. Labellum perigonii laciniis lateralibus paulo longius, lineare, medio planum, apice in lobos duos oblongos obtusos divaricatos denticulo interstinctos divisum, basi canaliculatum in calcar abiens. Calcar pendulum rectum scrotiforme, labello brevius, ovarium aequans. Anthera acuminata inclinata recta. Stigma ovatum acutissimum integrum. Ovarium oblongum incurvum pubescens.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XV.

1. Tota planta naturali magnitudine.
2. Flos, auctus.
3. Flos abscissis perigonii laciniis lateralibus et superiore, auctus.
4. Anthera cum stigmate, magis aucta.

MICROCHILUS MINOR. TAB. XVI.

M. stigmate bifido, anthera incurva, labello edentulo, ovario calcar duplo superante, foliis ellipticis.

M. minor. *Presl in reliq. Haenk. l. c.*

Habitat cum priore in montanis provinciae huanoccensis Peruviae. *Haenke.* 2+

DESCRIPTIO.

Radix deperdita. Scapus pedalis erectus pubescens, basi foliatus, reliqua altitudine vaginis oblongis acutis glabris nervosis membranaceis distantibus vestitus. Folia duos pollices longa, quatuordecim lineas lata, elliptica acuminata glabra, multinervia, nervis septem crassioribus, transversim venosa, basi in petiolum dilatatum vaginantem connato-amplexantem attenuata. Spica fere quadripollicaris, linearis, minus densa quam in praecedente. Rhachis glabra. Bracteae quatuor lineas longae, lanceolatae acuminatae membranaceae erecto-patentes, flore paulo longiores. Flores nutantes praecedente duplo minores. Perigonii laciniae laterales lineares obtusae horizontales parallelae, lacinia superior vix longior oblonga erecta carinata trinervia acutiuscule tridentata. Labellum perigonio aequilongum subpendulum planum ex angusta basi sensim latius, apice in lobos duos divaricatos nullo denticulo interstinctos divisum. Calcar pendulum rectiusculum scrotiforme labello duplo, ovario plus quam duplo brevius. Anthera ovata acuminata apice antrorsum incurva. Pollinis massae pulvereae cohaerentes. Stigma ovatum apice in duos lobos acuminatos divisum, antherae parallelum. Ovarium oblongum pubescens.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XVI.

1. Microchilus minor, naturali magnitudine.
2. Flos, auctus.
3. Flos abscissis perigonii laciniis lateralibus et superiore, auctus.
4. Apex laciniae superioris perigonii, magis auctus.
5. Anthera cum stigmate, magis aucta.

TICOREA NITIDA. TAB. XVII.

T. foliolis tribus lanceolatis acuminatis emarginulatis nitidis pellucido-punctatis in petiolulum attenuatis, medio longiore longius petiolulato, panicula multiflora, floribus pedicellatis, staminibus duobus fertilibus.

Habitat in America meridionali. *Herb. J. S. Presl.*

DESCRIPTIO.

Frutex ramis floriferis lignosis, penna columbina crassioribus, teretibus, apicem versus foliatis et apice floriferis, cortice pallide fusco rimoso tenuiter elevato-et interrupte striato. Folia alterna trifoliolata. Petiolus communis bipollicaris patens rigidulus basi dilatatus, caeterum aequalis, semiteres, i. e. supra planus, subtus convexus, glandulis flavescentibus hemisphaericis sessilibus conspersus. Foliola lanceolata in acumen emarginatum attenuata, coriacea utrinque nitida glaberrima reticulato-venosa, glandulis contra lucem translucentibus flavis dense elevato-punctata, lateralia octodecim usque triginta sex lineas longa, quinque — decem lineas lata, in petiolulum unam — sesquilineam longum attenuata, medium longius et latius in petiolulum sesquilineam — quinque lineas longum attenuatum. Panicula terminalis erecta ovata tripollicaris, pedunculo bipollicari tereti glandulis in petiolis descriptis obsito insidens, decomposita, vigintiquinqueflora, ramis alternis patentibus ebracteatis semipollicaribus bi-trifidis, ramulis unam — tres lineas longis ebracteatis oppositis bi-trifidis ramisque rhachique angulatis ac externe squamulis minutissimis albicantibus vestitis interne glandulis supra descriptis conspersis. Pedicelli basi bracteis setaceis linea brevioribus pubescentibus fugacibus instructi, lineam longi longioresque, oppositi teretiusculi puberuli erecti. Calyx linea longior campanulatus quinquedentatus extus pubescens et glandulis semiglobosis sessilibus exsiccatione nigricantibus dense obsitus, dentibus ovatis acutis. Corolla monopetala hypocrateriformis, tubo quinque lineas longo tereti extus sericeo-pubescente et glandulis flavescentibus hemisphaericis sessilibus consperso, intus villoso, limbo quinquefido, subinde quadrifido, laciniis oblongis obtusis patentibus utrinque sericeo-pubescentibus glandulosisque. Stamina septem, filamentis monadelphis tubo usque ad faucem adglutinatis, apice libero planis, quinque sterilibus, duobus fertilibus paulo longioribus, antheris sterilibus semilineam longis vacuis membranaceis apice puncto glanduloso notatis, e fauce prominentibus, fertilibus duplo longioribus linearibus exsertis obtusis bilocularibus basi membrana lineari emarginata plana adpressa appendiculatis. Ovarium obcordatum obscure pentagonum, glandulis flavescentibus semiglobosis sessilibus densissimis granulosum, basi urceolo denticulato usque ad dimidium longo immersum. Stylus exsertus simplex filiformis glaber longitudine tubi, glandulis hemisphaericis adspersus. Stigma in apice styli laterale ovale integrum carnosum verruculosum. Fructum non vidi et fabricam ovarii interiorem extricare non potui.

A Ticoreis genuinis recedit antheris fertilibus appendiculatis.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XVII.

1. Ramus naturali magnitudine. **2.** Flos integer, auctus. **3.** Corolla tubo longitudinaliter fisso et explicato, aucta. **4.** Eadem limbo quadrifido, aucta. **5.** Antherae fertiles ab anteriore facie, magis auctae. **6.** Antherae fertiles a tergo, magis auctae. **7.** Pistillum cum urceolo, magis auctum.

WAHLENBERGIA FLACCIDA. TAB. XVIII.

W. perennis pubescens canescens, caulibus diffusis pendulisve simplicibus, foliis cordato-subrotundis, infimis longe petiolatis inciso-et inaequaliter crenatis, superioribus dentatis, crenis dentibusque mucronulatis, racemo foliato laxo, pedicellis filiformibus subunifloris, calycis laciniis lanceolatis acuminatis reflexis.

Habitat in rupium sylvaticarum fissuris montis Gargani Apuliae. *Sieber.* 24 *Flor. Mujo.*

DESCRIPTIO.

Radix uni-bipollicaris, penna columbina crassior, lignosa, plerumque perpendicularis, simplex, pallide fusca. Omnes partes herbae pilis albis rigidulis patentissimis densis vestitae et inde praesertim juniores canescentes. Caules plures ex una radice, digitales usque semipedales, penduli vel diffusi, teretes, tenuiter striati, plerumque simplicissimi, raro apice ramo aucti. Folia radicalia octo lineas longa, paulo latiora, petiolo bipollicari canaliculato subtus striato suffulcita, e basi cordata orbiculata, duplicato-crenata sublobata, crenis inaequalibus mucronulatis, pinnatim nervosa, caulina alterna minora multo brevius petiolata cordato-ovata acuta, a medio basim versus inaequaliter dentata, dentibus mucronulatis, suprema sessilia. Racemus terminalis sex-vigintiflorus, laxus, simplex vel parum ramosus, foliatus, foliis sessilibus, infimis caulinis summis simillimis, superioribus minutis ovatis acutis bracteaeformibus. Pedicelli tres-quinque lineas longi, filiformes, ex axillis foliorum floralium provenientes, infra medium bracteola solitaria vel duabus alternis oblongis minutis instructi, inferiores saepe biflori rarius triflori, ramulis ex axilla bracteolae exorientibus, superiores uniflori. Calycis tubus subglobosus decemsulcatus, sulcis alternis minoribus, pilis supra descriptis hirsutus, limbus laciniis lanceolatis acutis utrinque praecipue apicem versus hirsutulis ante anthesim patentibus, sub anthesi et postea reflexis, tubo paulo longioribus. Corolla quatuor lineas longa, acute aequaliter quinqueloba, azurea. Filamenta basi in membranam triangularem inclinatam translucentem dilatata. Antherae lineares stylo dimidio breviores. Stylus filiformis erectus, corolla longior, medio glanduloso-verruculosus. Stigma trifidum, laciniis revolutis. Capsula trilocularis trivalvis apice dehiscens.

Differt a W. Elatine (Campanula) foliorum figura, crenis et dentibus, nec non calyce.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XVIII.

1. Tota planta naturali magnitudine.
2. Calyx cum pistillo,
3. Stamina cum pistillo,
4. Stamen a facie,
5. Stamen a latere,

} aucta.

CAMPANULA BARRELIERI. TAB. XIX.

C. villosa, caulibus diffusis procumbentibus simplicissimis unifloris, foliis cordato-subrotundis crenatis, floribus terminalibus, calycis laciniis lanceolatis acutis tubo glabro longioribus.

C. saxatilis rotundifolia hispida, flore caesio amplo, italica. *Barr. ic. t.* 453.

C. diffusa var. *β. Schult. syst. veg.* 5. *p.* 92.

Habitat in saxosis maritimis insulae Aegusae vulgo Favignana; copiose in rupibus maritimis ad Amalfi et Salerno prope Neapolim. 2. Flor. maj. jun.

DESCRIPTIO.

Radix usque spithamea, pennam anserinam crassa, lignosa, perpendicularis aut torta, prouti in saxorum rimas penetrare potest. Herba tota villis albidis patentissimis dense obtecta canescens. Caules plures ex una radice, digitales, diffusi, teretes, semper a me uniflori visi. Folia herbacea, radicalia petiolo vix pollicari suffulta, cordato-subrotunda obtusa, plerumque quatuor lineas longa, laeviter crenata, rarius longius petiolata majora et profundius crenata, crenis copiosioribus aequalibus; caulina alterna duplo minora petiolo longiora ovato-subrotunda obsolete crenata. Flores in summitate caulium solitarii erecti. Calycis tubus obovatus decemsulcatus, glaberrimus, laciniae limbi lanceolatae acutae planae patentes villosae tubo paulo longiores, sinubus acutis simplicibus. Corolla pollicaris caerulea, lobis acutiusculis. Filamenta basi in membranam triangularem dilatata. Antherae lineares. Stylus longitudine corollae, simplex, apicem versus glandulosus. Stigma trifidum, glandulosum, laciniis demum reflexis. Capsula cum tubo calycis connata trilocularis polysperma, foraminibus lateralibus dehiscens. Semina ferruginea.

Differt a C. diffusa pilositate, foliis herbaceis numquam carnosis, supremis quoque subrotundis, floribus solitariis nec subracemosis, laciniis calycis lanceolatis tubo paulolo longioribus nec lineari-lanceolatis tubo plus quam duplo longioribus, corolla majore, stylo corollae longitudine nec breviore.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XIX.

1. Tota planta naturali magnitudine.
2. Calyx cum pistillo, auctus.
3. Campanulae diffusae suprema caulis pars, naturali magnitudine.
4. Campanulae diffusae calyx cum pistillo, auctus.

LOBELIA SALZMANNIANA. TAB. XX.

L. annua, glaberrima, caule simplicissimo erecto foliato, foliis lanceolatis obtusis crenatis in petiolum attenuatis, supremis verticillato-aggregatis, pedunculis axillaribus filiformibus unifloris medio bibracteatis.

L. Laurentia. *Salzm. pl. cors. exs.*

Habitat in maritimis ad Ajaccio Corsicae. *Salzmann.* ☉ Flor. Majo.

DESCRIPTIO.

Radix annua filiformis ramosa flexuosa fuscescens aut flavescens. Caulis pollicaris solitarius erectus teres glaberrimus parce foliatus, simplicissimus aut simplex, si nempe ex axilla folii ramulus brevissimus evolvitur. Folia tres-quinque lineas longa, sesquilineam fere numquam lata, lanceolata obtusa crenata uninervia glaberrima herbacea viridia in petiolum planiusculum attenuata, infima aggregata majora, caulina duo-tria, alterna, suprema sex ad undecim in verticillum irregularem capitatum aggregata, infimis paulo minora, brevius petiolata, caeterum conformia. Pedunculi usque bipollicares, ex axillis foliorum supremorum et caulinorum mediorum provenientes, solitarii, filiformes, debiles, uniflori, glaberrimi, supra medium aut medio bracteis alternis linearibus erectis parvis instructi. Flos duas lineas paululum superans. Calycis glaberrimi tubus ovato-subglobosus decemnervius, cum ovario arcte connatus, fructifer globosus, nervis decem magis prominentibus instructus, limbus quinquefidus, laciniis lineari-lanceolatis obtusis erectis longitudine tubi. Corolla calyce duplo longior, monopetala, tubo integro cylindraceo albo hyalino, limbo bilabiato quinquefido, laciniis azureis, labii superioris duabus lanceolatis obtusis erectis, labii inferioris tribus ovatis acutis deflexis paulo minoribus. Filamenta quinque a corolla libera ad basim laciniarum calycis inserta, basi libera, apicem versus in tubum cylindricum connata stylum includentia. Antherae oblongae apice barbatae in tubum ovato-subglobosum connatae, biloculares. Ovarium biloculare multivolatum, apice libero breviter conico calycis tubum excedens. Stylus filiformis longitudine staminum in tubo filamentorum et antherarum inclusus. Stigma inclusum bilobum, lobis oblongis. Capsula globosa cum tubo calycis persistentis arcte connata, a seminibus maturis rugulosa, apice breviter conico libera, bilocularis, polysperma. Placentae centrales dissepimento adnatae. Semina oblonga teretiuscula laevia fusca.

Species haec ab omnibus praecipue ab europaeis distincta ad genus Lobelia limitibus a doctissimo Roberto Brownio stabilitis constitutum pertinet. Nimis parvi momenti sunt characteres nonnulorum generum a clar. Gaudichaud in voyage de l' Uranie expositi, quare mihi videtur, Cyaneam et Rollandiam cum Isotoma, Delisseam cum Lobelia coincidere.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XX.

1. Tota planta naturali magnitudine.
2. Flos,
3. Isdem corollae anteriore pariete demta,
4. Calyx et tubus stamineus longitudinaliter sectus, } aucta.
5. Capsula,
6. Eadem transversim secta,
7. Semen, magis auctum.

HELIANTHEMUM ROSMARINIFOLIUM. TAB. XXI.

H. caule suffruticoso erecto ramosissimo ramisque albicante, foliis oppositis alternisque, sessilibus, lineari-lanceolatis obtusis margine revolutis utrinque tomentoso-incanis, stipulis linearibus folio triplo brevioribus, racemis secundis, floribus sessilibus bracteatis, sepalis villosis corolla brevioribus.

H. lavandulaefolium. *Sieb. herb. palaest.*

Habitat in collibus apricis ad Joppen in Palaestina. ♃ Flor. Majo.

DESCRIPTIO.

Caulis pedalis et longior, suffruticosus, erectus ramosissimus teres albicans glaber, ramis erecto-patentibus alternis albicantibus tomentoso-villosis, ramulis oppositis et suboppositis tomentoso-incanis. Folia tres ad quatuor lineas longa, lineam lata, opposita subopposita alternaque, brevissime petiolata, utrinque tomentosa, incana, lineari-lanceolata obtusa, margine revoluta, explicata lanceolata, juniora fasciculata. Stipulae caducae lineari-subulatae tomentoso-incanae erectae, lineam longae, petiolo plus quam duplo longiores, folio triplo breviores. Racemi in ramulis terminales erecti bi-sexflori, solitarii. Flores secundi, remotiusculi, sessiles, nutantes, basi bracteati, post anthesim brevissime pedicellati. Bracteae lineari-subulatae tomentoso-canescentes, ciliatae, lineam longae, post anthesim deciduae. Calyx pentasepalus, sepalis duobus exterioribus lineam longis linearibus canescenti-tomentosis villosisque, appressis aut patentiusculis, interioribus tribus ovali-ellipticis obtusis quinquenerviis, externe margine basique hirtulis, exteriora fere triplo superantibus. Petala quinque flava obovata, sepala paulo excedentia. Stamina numerosa, filamentis filiformibus glabris erectis flexuosisque, antheris subrotundis. Stylus stamina plus quam duplo superans, cylindricus, apicem versus inclinatus et crassior. Stigma obtusum. Ovarium globosum villis albis copiosissimis vestitum. Capsula calycis longitudine, flavescenti-brunnea, trivalvis unilocularis polysperma, valvis extus villosis, demum divaricato-patentibus, medio placentiferis. Placentae lineares dentatae. Semina obovato-oblonga rufa minuta, alterna oppositaque.

Pertinet ad sectionem Eriocarpum.

Clar. Sieber cum H. lavandulaefolio foliis stipulis racemis pedicellis floribus stylo ovario capsulaque diverso commutavit. Majorem affinitatem cum reliquis speciebus sectionis Eriocarpi habet, praecipue cum H. Lippii, sed differt foliis stipulis bracteis petalisque.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXI.

1. Caulis Helianthemi rosmarinifolii, naturali magnitudine.
2. Folium,
3. Flos demtis petalis,
4. Calyx cum pistillo,
5. Calyx cum capsula aperta,

} aucta.

CISTUS CUPANIANUS. TAB. XXII.

C. foliis petiolatis ovatis margine fimbriatis utrinque rugosis subtomentosis, inferioribus basi subcordatis, petiolis dilatatis sulcatis, umbella subtriradiata, pedunculis subtrifloris superne bracteatis, sepalis villosis.

C. Cupanianus. *Presl fl. sic.* **1.** *p.* **117.**

α. canescens, foliis canescenti-tomentosis, pedunculis brevibus.

β. virescens, foliis minus tomentosis, pedunculis brevibus.

γ. pedunculares, foliis minus tomentosis, pedunculis elongatis.

Habitat in collibus apricis herbidis Siciliae: ad S. Martinum, ad Alcamo, ad Drepanum et caet. ♃ Flor. Majo.

DESCRIPTIO.

Fruticulus pedalis usque bipedalis, erectus, ramosus, ramis ramulisque teretibus villosulis. Folia pollicem non superantia, opposita ovata recurvato-acuminata, margine plus minus fimbriato-ciliata, utrinque rugosa plus minus pilis stellatis confertis tomentosa, in petiolum tres ad quinque lineas longum dilatatum sulcatum longe ciliatum basi cum opposito connatum attenuata, inferiora basi subcordata rotundatave, media ovata subelliptica, suprema ovato-lanceolata vel lanceolata. Umbella terminalis tri—novemflora, pedunculis solitariis binis ternis quaternisve uni—trifloris, decem lineas usque quatuor pollices longis teretibus villosis, supra medium ad exortum pedicellorum saepe abortientium bractea parva decidua, in varietete *γ* foliiformi lanceolata munitis. Flores magnitudine C. salvifolii. Sepala quinque, villis longis albis vestita, ovata acuminata subaequalia. Petala quinque ochroleuca obcordata saepius obovata, plana, calyce multoties longiora. Stamina quadraginta usque quinquaginta, fertilia, filamentis filiformibus, antheris oblongis. Ovarium superum subglobosum dense villosum. Stylus cylindricus staminum longitudine. Stigma capitatum sat magnum. Capsula calyce persistente obtecta, quinquelocularis, quinquevalvis, oligosperma, valvis medio septiferis.

Pertinet ad sectionem a me Leucocistus, a cel. Candollio Ledonia nuncupatam, subdivisionem propriam sibi vindicans, cum a speciebus stylo nullo aut brevissimo donatis sepalis subaequalibus atque stylo staminibus aequilongo differt. Sepalis et stylo ad Erythrocistum accedit, colore petalorum differt. Foliis ad C. corbariensem accedit.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXII.

1. Ramus varietatis *α*, naturali magnitudine.
2. Flos demtis petalis, auctus.
3. Ramulus varietatis *γ*, naturali magnitudine.

DENDROBIUM NUTANS. TAB. XXIII.

D. caule simplici vaginato, foliis radicalibus lanceolatis acuminatis basi in petiolum attenuatis, spica simplici nutante, perigonii laciniis aequalibus oblongis obtusis, labello integro obcordato undulato.

D. nutans. *Presl in reliq. Haenk. tom.* 1. *p.* 102.

Habitat in insula Luzon. *Haenke.* 2

DESCRIPTIO.

Radix deest. Folia mere radicalia, ultrapedalia, tres pollices lata vel latiora, lanceolata, acuminata, glaberrima, tenuiter membranacea, multinervia, nervis parallelis, septem crassioribus et elevatioribus, margine undulata, basi in petiolum dilatatum canaliculatum nervosum attenuata. Caulis foliis brevior, basi pennam anserinam crassus, erectus, teres striatus glaberrimus, vaginatus. Vaginae unum usque quatuor pollices longae, alternae, distantes, laxae integrae striato-nervosae, basi membranaceae amplexantes, apice liberae foliaceae acutae aut acuminatae. Spica ultrapollicaris terminalis nutans multiflora. Flores alterni solitarii glaberrimi. Bracteae octo-duodecim lineas longae, lineares acutae striato-nervosae scariosae. Perigonium profunde quinquepartitum, laciniis quatuor lineas longis, patentibus aequalibus oblongo-lanceolatis obtusis planis quinquenerviis, nervis exterioribus externe pinnatim venosis. Labellum perigonii laciniis paulo longius sed triplo latius, erecto-patens, vix unguiculatum, integrum, obovatum, apice planum emarginatum et inde obcordatum, margine laeviter undulatum, basi marginibus inflexum, subtus infra medium in angulum acutiusculum cornu quoddammodo brevissimum referrentem productum, utrinque glabrum, disco superne apicem versus striato-verrucosum. Gynostemium erectum breve apterum, cum ungue labelli connatum. Anthera terminalis operculata, operculo suborbiculato convexo, deinde distante et deciduo. Pollinis massae quatuor cereaceae obovatae, massis duabus anterioribus minoribus. Stigma minutum. Ovarium lineare bractea duplo brevius.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXIII.

1. Caulis et folium radicale naturali magnitudine.
2. Flos cum bractea,
3. Labellum perigonio abscisso,
4. Gynosteminum operculo clauso,
5. Gynostemium operculo aperto,

} aucta.

6. Gynostemium operculo dejecto, magis auctum.

DENDROBIUM CARNOSUM. TAB. XXIV.

D. caule simplici inferne vaginato, foliis radicalibus lanceolatis acutis quinquecostatis basi attenuatis, spica simplici laxa, perigonii laciniis exterioribus falcatis, interioribus linearibus, labello trilobo, lobo medio subrotundo carnoso verrucoso.

D. carnosum. *Presl l. c.*

Habitat in montanis huanoccensibus Peruviae. *Haenke.* 2

DESCRIPTIO.

Radix deperdita. Folia mere radicalia, bipedalia et longiora, duos tresve pollices lata, elongato-lanceolata acuta glabra plana multinervia, nervis quinque crassis praesertim subtus elevatis duris costaeformibus, parenchymate folii exeso persistentibus, basi in petiolum brevem latum attenuata. Caulis, cujus frustum ultrapedale adest, pennam cygneam crassus, erectus glaber striatus, inferne vaginatus. Vaginae oblongae acutae striato-nervosae adpressae scariosae, suprema pollicaris a spica distans. Spica semipedalis terminalis laxa flexuosa multiflora. Flores alterni solitarii glaberrimi. Bracteae decem lineas longae, lineares acutissimae striato-nervosae patentes, basi canaliculatae, apice planae, infimae pollicares non floriferae. Perigonium profunde quinquepartitum, laciniis inaequalibus, sub anthesi erecto-patentibus, anthesi peracta patentibus, duabus exterioribus octo lineas longis falcatis basi obliquis cum basi labelli connatis, superiore aequilonga lineari acuta canaliculata, interioribus duabus superiori conformibus sed planis et paulo brevioribus atque angustioribus. Labellum perigonii laciniis duabus exterioribus aequilongum, erecto-patens, breviter unguiculatum, obovatum concavum trilobum, infra medium in angulum obtusum productum, lobis lateralibus rotundatis, medio longiore obovato-subrotundo carnoso crasso convexo, striis et verrucis inaequalibus exasperato. Gynostemium breve apterum erectum cum ungue labelli connatum, antice sulco profundo exaratum. Anthera terminalis operculata. Operculum cucculiforme deciduum. Pollinis massae quatuor cereaceae oblongae, duabus anterioribus minoribus. Stigma minutum vix conspicuum. Ovarium lineare patens, bractea paulo longius.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXIV.

1. Caulis superior pars et folium,
2. Flos sub anthesi,
3. Flos anthesi peracta,
4. Labellum,

} naturali magnitudine.

5. Gynostemium cum operculo,
6. Idem sine operculo et anthera,

} aucta.

7. Pollinis massae a facie,
8. Pollinis massae a dorso,

} magis auctae.

DENDROBIUM MEXICANUM. TAB. XXV.

D. caule simplici vaginato, foliis radicalibus lanceolatis acutis septemnerviis basi in petiolum attenuatis, spica erecta simplici, perigonii laciniis tribus exterioribus lanceolatis acuminatis, interioribus oblongis obtusis brevioribus, labello laeviter trilobo, lobo medio obtuso undulato verrucoso.

D. mexicanum. *Presl l. c.*

Habitat in Mexico. *Haenke.* 24

DESCRIPTIO.

Radix deest. Folia mere radicalia, bipedalia, duos pollices lata, lanceolata acuta glabra plana multinervia, nervis septem crassioribus et magis prominentibus, in petiolum striato-nervosum dilatatum longe attenuata. Caulis bipedalis, basi fere digiti minimi crassitie, erectus teres striatus glaber, basim versus vagina solitaria oblonga acuta stricta scariosa, apicem versus vaginis linearibus acutis scariosis bracteaeformibus munitus. Spica ultrapedalis terminalis erecta simplex multiflora densa. Flores alterni solitarii glaberrimi. Bracteae lineares acutae striato-nervosae scariosae patentes, vaginis summis conformes, octo usque decem lineas longae. Perigonium profunde quinquepartitum, laciniis inaequalibus erecto-patentibus, duabus exterioribus octo lineas longis lanceolatis acuminatis basi obliquis cum basi labelli connatis, superiore aequilonga anguste lanceolata acuminata, duabus interioribus ovato-lanceolatis obtusis brevioribus. Labellum erecto-patens brevissime unguiculatum, obovatum concavum, infra medium cum laciniis perigonii lateralibus connatum et in angulum obtusum productum, apice laeviter trilobum, lobis lateralibus brevibus rotundatis, medio longiore rotundato undulato carnosulo verrucis sparsis obsito. Gynostemium erectum apterum antice sulco exaratum, longius quam in praecedentibus speciebus. Anthera terminalis. Operculum deperditum. Pollinis massae quatuor subaequales cereaceae. Ovarium lineare patens bractea brevius.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXV.

1. Caulis superior pars et folium,
2. Flos,
3. Flos expansus,

} naturali magnitudine.

4. Gynostemium a facie,
5. Gynostemium a latere,

} aucta.

DICARPAEA.

ORDO NATURALIS. PARONYCHIEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. PENTANDRIA DIGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx profunde quinquepartitus, persistens, laciniis ovatis acuminatis patentibus intus petaloideis. Corolla nulla. Stamina quinque, fertilia, hypogyna. Ovarium compressum subrotundum retusum liberum. Stigmata duo, sessilia, cylindrica. Capsula bipartibilis, carpellis indehiscentibus semicircularibus compressis rugosis bilocularibus, loculo externo monospermo, interno vacuo. Semen compressum reniforme placentae centrali affixum.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx inferus persistens pentasepalus, sepalis basi ima coalitis ovatis, acuminatis, margine membranaceis, intus petaloideis albis, patentibus. Corolla nulla. Stamina quinque, fertilia, sepalis opposita: filamenta plana late ovata acuta erecta hyalina alba persistentia calyce multoties breviora; antherae oblongae biloculares oscillatoriae extrorsae deciduae. Ovarium superum, subrotundum, latius quam longum, compressum, retusum, glaberrimum filamentis longius, margine exteriore plano. Stylus nullus. Stigmata duo cylindrica obtusa divaricata brevia alba glabra decidua. Fructus: capsula calyce et filamentis cincta, semicircularis, compressa, bipartibilis, carpellis semicircularibus, extus convexicusculis rugosis medio impressis, marginem versus inaequaliter scrobiculatis, intus planis et medio crista parum prominente acuta ante apicem desinente (vasa auram seminalem vehentia obstructa) instructis, basi paululum ad axim transversam brevem tridentato-sinuatam compressam recipiendam excavatis, indehiscentibus, bilocularibus, loculo externo monospermo, interno abortiente vacuo angusto. Semen in loculo externo carpelli solitarium, reniforme, laeviter interne concavum, externe convexum, cavitatem loculi exactissime replens. Placenta centralis in loculo seminifero crassa obtusa erectiuscula persistens, parietibus loculi laevissime adhaerens. Albumen centrale farinosum magnum. Embryo periphaericus annularis cylindraceus.

HABITUS.

Herba annua multicaulis, caulibus diffusis ramosis, foliis alternis linearibus exstipulatis, floribus axillaribus glomeratis bracteatis virescentibus parvis.

AFFINITAS.

Dubius non haereo hoc genus Paronychieis adnumerare, si floris et seminis fabricam respiciam. Si vero capsulae bipartibilis carpella bilocularia ad axim inserta considero, sententia mea vaccilare videtur. Interim donec alius et naturali seriei magis idoneus locus invenitur, nostrum genus inter Paronychieas collocari licet. Nemo certe ob folia exstipulata alterna ex ordine saepius nominato eliminare vellet, si folia alterna stipulata

Telephii et Corrigiolae, et folia opposita exstipulata Scleranthearum, Queriacearum et Minuartiearum considerat. Dicarpaea, saltem meo judio, carpellis duobus circa axim positis transitum e Paronychieis ad Crassulaceas carpellis circa axim idealem verticillatis liberis pollentes facilitat.

ETYMOLOGIA.

Desumtum est nomen a *δισ* duo et *καρποσ* fructus, ob capsulae in carpella duo partibilitatem.

DICARPAEA LINIFOLIA. TAB. XXVI.

Habitat in arenosis Capitis bonae spei? *Sieber.* ☉

DESCRIPTIO.

Radix bipollicaris parum flexuosa simpliciter ramosa pallida. Caules plurimi digitales tenues diffusi prostrati ramosi foliati pallide virides, glaberrimi. Folia quinque ad sex lineas longa, semilinea paulo latiora, alterna, exstipulata, linearia vel lineari-oblonga, obtusiuscula, basi in petiolum lineam longum attenuata, plana, carnosula, enervia, glaucescenti-viridia, glaberrima, patentia. Flores tres-octo, in axillis foliorum glomerati, sessiles, bracteati, parvi. Bracteae solitariae, sub calyce sitae, sessiles, lanceolatae, acutae, uninerviae, scarioso-hyalinae, calyce multoties breviores, patentes. Sepala lineam superantia, dorso pallide viridia, enervia, margine late albo-membranacea. Filamenta alba membranaceo-hyalina. Antherae luteae. Ovarium albidum. Stigmata alba. Capsula calyce una quarta parte brevior, fuscescens, carpellis deinde ab invicem secedentibus aut pressione laeviuscula facillime separabilibus. Semen fuscescens subinde embryone abortiente albumine solummodo remanente membrana alaeformi tenui cinctum. Embryo sordide flavescens. Albumen candidum farinaceum. In loculo carpelli interiore vacuo placentam quoque abortientem tantum striae binae elevatae laeves indicant.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXVI.

1. Tota planta, naturali magnitudine.
2. Flos inexpansus cum bractea,
3. Flos expansus,
4. Calyx cum fructu,
5. Fructus a margine externo,
6. Fructus a basi,
7. Carpellum a later extereno,
8. Carpellum a latere interno,
9. Idem pariete externa abscissa absque semine,
10. Idem pariete externa abscissa cum semine, cujus latus externum convexum conspicitur,
11. Idem pariete interiore abscissa cum semine, cujus latus interius concavum conspicitur,
12. Carpelli et seminis sectio transversalis,
13. Semen perpendiculariter sectum,
14. Axis,

} aucta.

ADENOBASIUM.

ORDO NATURALIS. HOMALINEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. ICOSANDRIA TETRAGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quadripartitus, laciniis duabus interioribus angustioribus. Petala nulla. Glandula annularis continua ovarium basi cingens. Stamina triginta-sex, quadruplici serie inserta. Ovarium quadriloculare multiovulatum, apice conicum. Styli quatuor subulati patentes. Fructus baccatus indehiscens quadrilocularis oligospermus.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calycis inferi tubus brevissimus, limbus simplex, quadripartitus, laciniis ovatis, acutiusculis, oppositis, intus velutinis, interioribus duobus tenerioribus angustioribus vix brevioribus. Corolla nulla. Glandula crassa velutina annularis continua ovarium basi cingens, calyci incumbens, persistens, duplici serie porosa, margine exteriore crenata. Stamina triginta-sex, hypogyna, quadruplici serie solitarie inserta, una serie nempe inter glandulam et ovarium, secunda et tertia e poris glandulae, quarta inter glandulam et calycem e sinubus crenarum proveniente. Filamenta filiformia brevia pubescentia, exteriora breviora. Antherae longitudine filamenti longioresve, oblongo-lanceolatae acutae pubescentes biloculares croceae, loculis apice rima anguste obovata dehiscentibus. Ovarium superum ima basi calyci adhaerens, basi glandula cinctum, velutinum, ovatum, conico-acuminatum, quadriloculare, multiovulatum. Styli quatuor subulati glabri apice patentes. Stigmata acuta. Fructus baccatus, indehiscens, quadrilocularis olygospermus.

HABITUS.

Arbuscula, ramis alternis, oppositis subverticillatisque. Folia alterna, subopposita oppositave, coriacea, simplicia, integerrima. Stipulae caulinae setaceae deciduae. Flores axillares fasciculato-racemosi.

AFFINITAS.

Differt a Homalio et reliquis Homalinearum generibus calyce simplici quadripartito, glandula continua, staminibus solitariis, stylis quatuor. Ovarium quadriloculare affinitatem non infirmat, cum Homalii fructus tantum ex abortu loculorum duorum triumve unilocularis considerari potest; sic nexus Homalinearum cum Rosaceis arctior evadit.

ETYMOLOGIA.

Derivatum nomem ev *αδενος* et *βασις*, cum ovarii basis glandula circumdata est.

ADENOBASIUM SALICIFOLIUM. TAB. XXVII.

Ptea japonica et
Pittosporum japonicum. *Hortul.*
Habitat in America meridionali. *Herb. J. S. Presl.* ♄

DESCRIPTIO.

Arbuscula orgyalis vel major. Rami alterni oppositi et subverticillati, teretes, ligno duro tenaci, cortice longitudinaliter interrupte tenuiter rimuloso et lenticulis proviso sat magnis. Stipulae tres lineas longae brevioresve, caulinae, setaceae teretes erectae adpressae durae, cito deciduae. Petioli duas-tres lineas longi teretiusculi, supra laeviter canaliculati. Folia duos pollices longa, octo-duodecim lineas lata, petiolata, alterna, subopposita et opposita, oblongo-lanceolata, acuminata, integerrima, glaberrima, coriacea, penninervia, venis secundariis reticulatis, margine extimo undulata, basi anguste et aequaliter cordata. Pedunculi unam-duas lineas longi axillares solitarii teretes glabri. Flores racemoso-fasciculati, duo-octo. Pedicelli lineam vel duas longi, patentes, teretes, glabri, basi bractea setacea minuta solitaria duabusve oppositis suffulti. Calyx tres lineas in diametro aequans, patens, extus viridis glaber. Ovarium albo-velutinum. Fructus immaturus visus.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXVII.

1. Ramus, naturali magnitudine.
2. Calyx ex aversa facie, naturali magnitudine.
3. Flos explicatus,
4. Calyx cum glandula et ovario, } aucta.
5. Stamen: *a.* a latere, *b.* externe, *c.* interne, } magis aucta.
6. Ovarium transversim sectum,

RHYNCHOSPORA LONGIFLORA. TAB. XXVIII.

R. caule acute triquetro angulis scabriusculo, foliis linearibus planis margine nervoque medio subtus scabris, corymbis axillaribus terminalibusque, decompositis, spiculis subsessilibus lineari-lanceolatis tri-quadrifloris, squamis ovatis mucronatis, caryopside obovata sublenticulari laevissima.

Schoenus longirostris. *Sieb. fl. mart. exs. n.* 261. nec Michaux.

R. longiflora. *Presl in Isis* 1828. *vol.* 21. *p.* 269.

Habitat in Martinica. *Kohaut.* 2

DESCRIPTIO.

Caulis, cujus infima pars deest, semitertium pedem longus, basi pennam anserinam crassus, acute triqueter, striatus foliatus glaberrimus, ad angulos scabriusculus. Folia sesquipedalia, tres lineas lata, graminea, linearia, in longum acutissimum apicem attenuata, plana, striato-nervosa, utrinque glaberrima, margine et nervo medio crassiore subtus scabra. Vaginae aliquantulum ampliores, obtuse triquetrae striatae glaberrimae integerrimae, ore emarginato-truncatae, distantes. Corymbi sesqui-bipollicares, erecti, decompositi, axillares pedunculo bipollicari suffulti folio duplo triplove breviores, terminalis breviter pedunculatus; rami patentes bracteis setaceis serrulato-scabris breviores, infimi pollicares, ramulisque pedicellisque triquetri angulis scabri. Ochreae truncatae hinc mucronatae, fusco-virentes. Spiculae duae tres usque quatuor in uno ramulo, brevissime pedicellatae, solitariae, rarissime binae, fere quatuor lineas longae, lineari-lanceolatae. Rhachicula flexuosa. Squamae quinque ad septem, ovatae, concavae, nervo medio unico in mucronem aristulaeformem excurrente, fuscae, margine flavescentes, superiores majores tres-quatuor floriferae, inferiores versus basim decrescentes vacuae. Flores hermaphroditi. Perigonium: setae sex fuscae scabrae ovario paulo longiores. Stamina tria, filamentis capillaceis erectis hyalinis, antheris linearibus apiculatis. Ovarium obovatum plano-convexum sublenticulare, laevissimum, virescens. Stylus filiformis erectus squamas longe excedens, basi incrassata persistente. Stigmata duo brevia filiformia. Caryopsis obovata, sublenticularis, planiusculo-convexa, pallide castanea, laevissima, nitida, basi styli conica compressa paulo longiore flavescenti coronata.

Cum Schoeno longirostri Michx. (Rhynchospora laxa Vahl), cujus specimen Mühlenbergianum in herbario Willdenowiano vidi, non obstante affirmatione cel. Schultes in mantissa 2. p. 46. commutari non licet, si Rhynchosporae laxae inflorescentia rara, squamae obtusiusculae, perigonii setae duplo longiores, caryopsis compressa major, et styli basis subulata teres scabra spiculam excedens considerantur.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXVIII.

1. Superior caulis pars, naturali magnitudine.
2. Spicula, aucta.
3. Spicula fructifera, squamis inferioribus demtis, aucta.
4. Flos sine squama, auctus.
5. Caryopsis, aucta.

RHYNCHOSPORA PANICULATA. TAB. XXIX.

R. caule triquetro glabro, foliis planis margine nervoque medio subtus scabris, paniculis axillaribus terminalibusque, decompositis, spiculis lanceolatis, squamis ovatis mucronatis, caryopside subrotunda lenticulari seriatim impresso-punctata.

R. ferruginea. *Sieb. fl. mart. exs. n.* 9.

R. paniculata. *Presl in Isis* 1828. *vol.* 21. *p.* 269.

Habitat in Martinica. *Kohaut.* 4

DESCRIPTIO.

Caulis videtur esse plus quam bipedalis, superior ejus pars est pennam anatinam crassus, acute triqueter, striatus foliatus glaberrimus. Folia pedalia et longiora, tres lineas lata, linearia graminea acutissima plana striato-nervosa, margine et nervis subtus praesertim medio scabra. Vaginae integrae striatae nitidiusculae ore truncatae, superiores subinflatae teretes, inferiores subancipites, angulo prominente scabro. Paniculae usque tripollicares, axillares terminalesque, decompositae, ovatae, pedunculis pollicaribus insidentes, folio triplo vel quadruplo longiores. Rhachis rami ramulique triquetra hirsuto-scabra. Bracteae quemque ramum et ramulum suffulcientes, lineari-setaceae acuminatae sex usque unam lineam longae. Ochreae truncatae fuscae. Spiculae binae solitariaeve, sessiles patentes lanceolatae acutae, duas lineas longae. Rhachicula flexuosa. Squamae quinque ad septem, undique imbricatae, ovatae, nervo dorsali excurrente mucronatae, concavae, glabrae, pallide fuscae, inferiores breviores vacuae, supremae duae majores floriferae. Flores hermaphroditi. Perigonium: setae sex hypogynae scabrae intense ferrugineae ovario duplo longiores. Stamina tria, filamentis tenuibus stylo brevioribus, antheris linearibus apiculatis. Ovarium subrotundum lenticulare virescens, impresso-punctatum. Stylus e basi dilatata compressa ovario aequilata sensim versus apicem filiformem sese attenuans, glaber, erectus, squamis longior. Stigmata duo brevia glabra. Caryopsis subrotunda lenticularis, latere uno convexiore, seriatim impresso-punctata, fusca, apice truncata et basi styli pyramidata acuta compressa viridi-flavescente aequilata et firmiter connata coronata.

Differt a R. ferruginea magnitudine omnium partium vegetationis, inflorescentia, spiculis et caryopside; nec colorem spicularum communem habet.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXIX.

1. Superior caulis pars, naturali magnitudine.
2. Spicula, aucta.
3. Flos sub anthesi,
4. Caryopsis cum perigonio,
5. Eadem transversim secta,
6. Eadem a latere visa,

} magis aucta.

AMORIA CALYCINA. TAB. XXX.

A. perennis, glaberrima, caulibus adscendentibus ramosis, foliolis subsessilibus obcordatis obovatis oblongisve basim versus argute serrulatis, stipulis breviter acuminatis, pedunculis floriferis petiolo duplo longioribus, floribus subsessilibus, calycis tubulosi dentibus erectis lanceolato-subulatis, pedicellis fructiferis tubo calycis aequilongis, leguminibus oblongis monospermis.

Habitat in pratensibus regionis collinae Siciliae: rara ad Panormum. 4 *Flor. maj.*

DESCRIPTIO.

Radix perennis ramosa. Caules pedales ramosi angulati glaberrimi, plures ex una radice, diffusi, adscendentes. Folia petiolata, trifoliolata. Foliola sex-septem lineas longa, quatuor-quinque lineas lata, petiolulis semilinea brevioribus insidentia, obcordata vel obovata vel subelliptica vel oblonga, praecipue basim versus argute serrulata, apice saepissime integerrima, subtus elevato-venosa, utrinque glaberrima, consistentia firmiora quam in A. (Trifolio) hybrida, elegante aut Micheliana. Petioli bi-tripollicares, canaliculati. Stipulae usque septem lineas longae, albidae, nervosae, emarcidae, breviter acuminatae, petiolares. Pedunculi axillares, solitarii, erecti, striati, florentes petiolo duplo longiores, fructiferi aequilongi. Capitulum multiflorum, floriferum ovato-subglobosum, fructiferum depresso-globosum. Flores sub anthesi sessiles aut brevissime pedicellati, imbricati. Calyx albidus, tubo decemstriato tubuloso sesquilineam longo, dentibus fere lineam longis lanceolato-subulatis erectis, duobus superioribus longioribus latioribusque. Corolla calyce duplo longior, alba: vexillum liberum oblongo-lanceolatum emarginatum crebre pinnato-venosum alis carinaque longius; alae carina longiores, semisagittatae, cum carina et cum tubo stamineo connatae, apice liberae. Stamina decem, diadelpha, tubo stamineo cum unguibus et basi laminarum alarum et carinae connato. Ovarium parvum, oblongum, uniovulatum. Stylus filiformis adscendens. Stigma capitellatum. Legumen immaturum oblongum, monospermum, styli basi persistente oblique inserta mucronatum.

Differt ab A. hybrida, elegante et omnibus generis hujus speciebus (Trifolia auctorum) foliolis petiolulatis firmioribus elevato-venosis, calyce tubuloso, ovario et legumine monospermo.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXX.

1. Amoria calycina, naturali magnitudine.
2. Calyx,
3. Flos,
4. Vexillum,
5. Ala, dimidia carina et tubus stamineus,
6. Pistillum,
7. Legumen.

} aucta.

OBSERVATIO.

Genus Trifolium Linnei et omnium auctorum separatis jamjam Meliloti speciebus characterem genericum amplissimum possidet species diversissimas complectens, et quidem sequentem potius subtribum ordinis quam characterem generis indicans:

Calyx campanulatus aut tubulosus, rarius urceolatus, fauce apertus aut clausus, quinquedentatus, dentibus inaequalibus. Petala libera, aut vexillum liberum carina et alis cum tubo stamineo connatis, aut omnia cum tubo stamineo connata, carina alis et vexillo brevior. Stamina diadelpha, aut a petalis libera aut cum illis connata. Ovarium stipitatum aut sessile, uni - bi - tri - quadriovulatum. Stylus filiformis glaber. Stigma capitatum. Legumen stipitatum aut sessile, ovatum, obovatum, ovato - lanceolatum aut oblongum, saepissime indehiscens, mono — tetraspermum calyce persistente aut undique tectum aut illo longius. Semina subglobosa. — Herbae annuae perennesve; folia trifoliolata, foliolis aut in apice petioli sessilibus, aut medio petiolulato; pedunculi plus minus longi, axillares aut terminales; flores spicato - capitati, capitati, spicati, umbellati, purpurei, lutei, albi, caerulei, rosei.

Talis character generis vastissimus indicat nonnulla subgenera a Linneo jam constituta a posterioribus aut religiose servata auctave, ad honorem generis evehenda esse. Non desunt inter Leguminosas et alios ordines genera, quorum characteres minoris ponderis sunt ac illi, qui in generibus e Trifolio Linneano derivatis obveniunt.

Ingenium Linnei summum non defuit, naturae indicias in dividendo genere Trifolio inveniendi; est nempe Trifolium in altera editione specierum plantarum (Holmiae 1763) divisum 1. in *Melilotos* leguminibus nudis polyspermis, 2. in *Lotoidea* leguminibus tectis polyspermis, 3. in *Lagopoda* calycibus villosis, 4. in *Vesicaria* calycibus inflatis ventricosis, et 5. in *Lupulina* vexillis corollae inflexis.

Sententiae Linnei strenue secutus est Willdenow in editione sua specierum plantarum.

Acutus Tournefort et post illum Botanici gallici Lamark, Poiret, Desfontaines, Candolle, Persoon, deinde et Botanici germanici Melilotum a Trifoliis sejunxerunt et proprium genus formarunt. Novissimis tandem temporibus Seringe in prodromo systematis vegetabilium Candollii non solum Melilotum sed et Pokokiam e Meliloto cretica formatam exposuit.

Trifolii subdivisiones quatuor reliquas omnes auctores post Linneum Lamarkio, Desfontainio, Sprengelio et Seringeo exceptis denuo assumserunt; scilicet Lamark et Desfontaines Trifolia Lupulina ad Melilotos retulerunt, Sprengel Mrifolia artificialiter in illa calycibus glabris, fructiferis erectis vel deflexis, dentibus calycis fructiferi squarrosis et vexillis persistentibus deflexis, ac in illa calycibus villosis, et haec secundum capitula nuda vel involucrata, juxta dentes calycis erecto - patentes, aut divaricatos atque colorem florum, denique in illa calycibus demum inflatis et in desciscentia divisit.

Seringe denique Trifolii genus in septem sectiones et quidem in Lagopum, Phleastrum, Eutriphyllum, Trifoliastrum, Vesicastrum, Lupinaster et Chronosemium dispescit. Tres primae sectiones Seringianae Linneanis Lagopodis, Trifoliastrum Lotoideis, Vesicastrum Vesicariis, et Chronosemium Lupulinis respondent. Nominum sectionum trium posteriorum mutationem ergo si excipias, res eaedem manent.

Silentio praeterire non possum sedulam Savii monographiam modesto titulo *Observationum* insignitam. Dividitur hic loci Trifolium remotis Meliloti speciebus in Trifolia ebracteata et bracteata; priora ulterius dividuntur in species calyce piloso vel superne fisso vel integro vel dentibus aequalibus et inaequalibus et calyce glabro; posteriora dividuntur in species calyce post anthesim inflato piloso glabrove, deinde in species calyce immutato nervoso, corolla immutata et vexillo non sulcato, denique in species calyce immutato enervi, vexillo sulcato apice deflexo donatas. Agmen claudit species incertae sedis scilicet Trifolium strictum.

Repetito examine Trifoliorum viventium et exsiccatorum desudavi ad characteres firmos enucleandos, ut exinde sectiones, subgenera vel ipsa genera stabilire, et haec differentiis validis atque sufficientibus suffulcire possint. Quotquot species in diversis Europae regionibus, in hortis aut in herbariis variis vidi et examinavi, ad quodlibet genus hujus tentaminis expono. Restant adhuc fere quinquaginta a Seringio enumeratae species, quarum accuratius examen fervidis votis exopto.

Divido genus Trifolii speciebus Meliloti aliisque ad alia genera relatis separatis in novem genera, quorum expositio mox sequitur characteribus e fabrica calycis, corollae, tubi staminei, ovarii et leguminis atque e vegetatione depromptis. Characteribus genericis enumeratio specierum a me examinatarum adnexa est.

PARAMESUS.

Trifolii spec. *Lin.*

Calyx campanulatus, limbi dentibus setaceis patentibus, inferiore longiore demum recurvo. Petala infra medium inter se et cum tubo stamineo connata, vexillo obovato alis carinaque longiore. Ovarium subrotundum liberum. Stylus filiformis glaber. Stigma capitellatum. Legumen calyce longius subrotundum lenticulari-compressum marginatum oblique rostratum dispermum. Semina compressa. — Herba annua glaberrima; caulis solitarius, erectus patulusve, striatus, simplex ramosusve; folia petiolata trifoliolata, foliolis oblongo-lanceolatis obovatisve serrulatis nervoso-parallele striatis; stipulae ovatae acutae serrulatae membranaceae albidae nervosae petiolares; pedunculi axillares; flores in capitulum globosum dense imbricati parvi; corolla alba aut pallide rubens marcescens a legumine calyptrae instar secedens. — Genus inter Melilotum et Trifolium intermedium, ab illa legumen calyce aperto longius, ab hoc corollam inferne gamopetalem, inflorescentiam capitatam et stipulas petiolares possidens, ab

utroque tamen satis et sufficienter diversum. — Apud Linneum inter Lotoidea, apud Seringe inter Trifoliastra militat.

Species.

P. strictus. — Trifolium strictum *L.* — T. laevigatum *Desf.*

AMARENUS.

Trifolii spec. *Lin.* — Meliloti spec. *Lam. Desf.*

Calycis scariosi tubus brevis fauce aperta, limbi dentes duo superiores ovato-lanceolati breviores inferioribus subulatis. Petala libera persistentia longitudinaliter plicato-striata. Stylus obliquus brevis apice incurvus. Legumen stipitatum obovatum compressum monospermum. — Herbae glabrae aut apice laeviter tomentosae, annuae perennesve; folia trifoliolata, foliolo medio saepe petiolulato; pedunculi axillares; flores capitato-spicati aut capitati, lutei aut purpurei, brevissime pedicellati, post anthesim penduli; petala post anthesim colorem mutantia ut plurimum badia. — Genus petalis liberis ad Melilotum accedens, inflorescentia, calyce, petalorum persistentia et fructu diversissimum. — Nomen a persistentia petalorum desumtum.

Species examinatae.

* Flores lutei.

A. spadiceus. — T. spadiceum *L.* — T. decipiens *Horn. h. hafn.*
A. agrarius. — T. agrarium *L.*
β. campestris. — T. campestre *Schreb.*
γ. lupulinus.
A. procumbens. — T. procumbens L.
A. flavus. — T. flavum *Presl.*
A. patens. — T. patens *Schreb.* — T. parisiense *Cand.*
β. stipulis integerrimis. — T. chrysanthum *Gaud.*
γ. foliolis superioribus lanceolatis utrinque acutis.
A. Sebastiani. — T. Sebastiani *Savi.*
A. filiformis. — T. filiforme *L.*
A. badius. — T. badium *Schreb.*

** Flores purpurei.

A. speciosus. — T. Gussoni *Tineo.* — T. comosum. *Labil.* — T. speciosum *Willd.*

LUPINASTER. *Moench meth. suppl. p. 50.*

Trifolii spec. *Lin.* — Pentaphyllum *Pers. ench. 2. p. 352.*

Calycis tubus fauce apertus, limbi dentes aequales aut subaequales. Alae carinaque tubo stamineo adnatae, vexillo libero elongato marcescente. Ovarium lineare bi-sexovulatum. Stylus terminalis filiformis. Legumen lineare utrinque acutum, compressum, di-hexaspermum. — Herbae perennes sempervirentes humiles; folia tri-quinquefoliolata, foliolis sessilibus tenuiter coriaceis elevato-nervosis; pedunculi axillares terminalesve; pedicelli bracteati; capitula subglobosa; flores speciosi purpurei; corolla colorem non mutans nec scariosa, vexillo non nervoso-plicato. — Nomen Moenchii conservandum. —

Species examinatae.

L. macrocephalus *Pursh.*
L. pentaphyllus *Moench.* — T. Lupinaster *L.*
L. eximius. — T. eximium *Rudolphi.* — T. grandiflorum *Ledebour.*
L. alpinus. — T. alpinum *L.*
L. uniflorus. — T. uniflorum *L.*
L. Buxbaumii. — T. Buxbaumii *Sternberg.*
L. involucratus. — T. involucratum *Willd.* — T. mucronatum *Willd. herb. n.* 14182.
L. Ecklonianus — Trifolium *Steud. pl. exs. cap. n.* 807.
L. amabilis. — T. amabile *HBK.* — T. pauciflorum *Willd. herb.*
L. ochreatus. — T. ochreatum *Kunze mss.*
L. Wormskioldi. — T. Wormskioldi *Lehm.* — T. tridentatum *Hort. Berol.* — T. fimbriatum *Lindley in bot. regist. n.* 1070.

AMORIA.

Trifolii spec. *Lin.*

Calyx campanulatus, limbi dentibus subulatis, duobus superioribns longioribus. Petala post anthesim marcescentia, vexillo libero, alis carinaque tubo stamineo adnatis. Ovarium oblongum bi-quadriovulatum. Stylus filiformis oblique insertus. Legumen calycem excedens, lineare oblongumve compressum torulosum bi-trispermum subdehiscens. — Herbae annuae perennesve; folia trifoliolata, foliolo medio ut plurimum brevissime petiolulato; pedunculi axillares; flores capitato-umbellati pedicellati post anthesim penduli, pedicellis saepissime basi bracteatis; petala alba, rosea, caerulea. — Genus inter Micrantheum et Dorycnium vel Lotum confine, unde nomen. Legumen in A. hybrida, Micheliana, angulata et macropoda dehiscens; an quoque in reliquis speciebus? — Amoria Lotoideis Linnei et Trifoliastro Seringii speciebus nonnullis exclusis respondet.

Species examinatae.

A. reflexa. — T. reflexum *L.*
A. hybrida. — T. hybridum *L.*
β. proliferum.
A. elegans. — T. elegans *Savi.*
A. calycina.
A. Biasollettiana. — T. Biasollettianum *Steud. et Hochst.*
A. Micheliana. — T. nigrescens *Viv.* — T. Michelianum *Savi* e specimin. a Savio missis in herb. Willd. et herb. generali Berol.
A. angulata. — T. angulatum *W. K.*
A. macropoda.
A. obcordata. — T. obcordatum *Desv.*
A. repens. — T. repens *L.*
β. proliferum. — T. anomalum *Schrank.*
A. pallescens. — T. pallescens *Schreb.*
A. caespitosa. — T. caespitosum *Reyn.*
A. parviflora. — T. parviflorum *Ehrh.*
β. pedunculis longioribus. — T. aristatum *Horn. h. haf.* fide specim. in herb. Lehmann ex horto hafniens.
A. caroliniana. — T. carolinianum *Michx.*
A. polymorpha. — T. polymorphum *Poir.*

MICRANTHEUM.

Trifolii spec. *Lin.*

Calyx ovatus aut tubulosus nervoso-striatus fauce apertus, limbi dentibus aequalibus rigidis pungentibus. Petala post anthesim marcescentia, vexillo tenuiter nervoso libero, alis carinaque basi tubo stamineo connatis. Ovarium oblongum biovulatum.

Stylus terminalis filiformis. Legumen ovale calyce indurato inclusum mono-dispermum indehiscens. Semina subglobosa. — Herbae annuae ramosae; capitula axillaria sessilia globosa stipulis dilatatis subinvolucrata; flores parvi rosei. — Genus petalis Amoriae accedens, tamen calyce et legumine diversum. Apud Linneum species hujus generis inter Lagopoda, apud Seringe inter Trifoliastra obveniunt.

Species examinatae.

M. glomeratum. — T. glomeratum *L.*

M. suffocatum. — T. suffocatum *L.*

TRIFOLIUM.

Trifolii spec. *Lin.*

Calycis tubus ovatus campanulatusve fauce clausus, limbi dens inferior reliquis longior. Petala cum tubo stamineo usque supra medium connata, post anthesim decidua. Ovarium subglobosum uniovolatum. Stylus filiformis terminalis. Legumen calyce inclusum ovato-subrotundum monospermum indehiscens. Semen subglobosum. — Herbae annuae perennesve; folia trifoliolata, foliolis sessilibus; spicae conicae ovataeve, aut capitula globosa, terminalia axillariave, pedunculata aut sessilia, et tunc stipulis dilatatis involucrata; flores semper sessiles ebracteeti; calyx ut plurimum hirsutus; corolla rubra, rosea, alba, luteave. — Genus limitibus modo expositis circumscriptum vera Trifolia seu plurima Lagopoda Linnei et sectiones tres primas Seringii complectitur. Subdivisiones empiricae.

Species examinatae.

* Spicae conicae terminales pedunculatae.

T. angustifolium *L.*
T. dasyurum.
T. armenium *Willd.*
T. cappadocicum *Willd.*
T. elongatum *Willd.*
T. purpureum *Lois.*
T. rubens *L.*
T. incarnatum *L.*
β. T. stramineum *Presl.*
T. intermedium *Guss.*
T. Lagopus *Pourr.* — T. laguroides *Lagasca.*
T. affine.
T. arvense *L.* — pectinatum *Willd. herb. n.* 14216.
T. ligusticum *Balb.* — T. divaricatum *Horn. h. hafn.* fide specim. ex h. hafn. in herbario Lehman. — T. gracile *Thuill.*
T. phleoides *Pourr.*
T. erinaceum *Bieb.*

** Spicae breves ovato-conicae axillares sessiles saepissime geminatae. Dentes calycini duo superiores lateralibus breviores.

T. conicum *Savi.*
T. scabrum *L.*
T. Bocconi *Savi.*
T. gemellum *Pourr.*
T. striatum *L.*
β. minus. — T. incanum *Presl.*

*** Capitula globosa terminalia pedunculata aut axillaria sessilia stipulis involucrata. Calycis dens infimus tubo brevior.

T. montanum *L.*
T. saxatile *All.*

**** Capitula globosa terminalia vel axillaria pedunculata vel sessilia et tunc stipulis involucrata. Calyx fere semper pilosus, dente infimo tubum superante.

T. clypeatum *L.*
T. irregulare *Pourr.* — T. maritimum *Smith.*
β. glabrum. — T. glabellum *Presl.*
T. supinum *Savi.*
T. alexandrinum *L.*
T. reclinatum *W. K.*
T. squarrosum *L.* — T. albidum *Retz.*
β. panormitanum — T. panormitanum *Presl.*
T. latinum *Sebast.* — T. dalmaticum *Visiani?*
T. leucanthum *Bieb.*
T. stellatum *L.*
T. roseum *Presl.*
T. ochroleucum *L.*
T. pannonicum *L.*
β. barbatum *Cand.*
T. adscendens *Hornem.*
T. noricum *Wulf.*
T. alpestre *L.*
T. medium *L.*
T. pratense *L.*
β. hirsutum. — T. expansum *W. K.*
T. bracteatum *Schousb.*
T. pensylvanicum *Willd.*
T. pallidum *W. K.*
β. minus. — T. villosum *Presl.*
T. diffusum *Ehrh.*
T. hirtum *All.*
β. T. pictum *Roth.*
T. arachnoideum *Presl.*
T. lappaceum *L.*
β. T. nervosum *Presl.*
T. molle *Kunze mss.*
T. Cherleri *L.*
T. congestum *Guss.*

MISTYLLUS.

Trifolii spec. *Lin.*

Calycis tubus membranaceus campanulatus vigintinervius fauce apertus infructu superne plus minus fissus, limbi dentes setacei, duo superiores longiores. Corolla infra medium gamopetala marcescens decidua. Ovarium ovato-subglobosum bi-quadriovulatum. Stylus terminalis. Legumen subglobosum ovatumve acuminato-rostratum di-tetraspermum indehiscens. Semina subglobosa. — Herbae annuae ramosae, folia trifoliolata; capitula terminalia pedunculata ovata globosave; flores sessiles basi bractea scariosa suffulti; calyx in fructu numquam vesicarius; corolla rosea post anthesim fusca. — Species hujus generis a Linneo ad Vesicaria, a Seringe ad Vesicastra relatae sunt, ast injuste, cum calyx immutatus persistat et non inflatur.

Species examinatae.

M. turgidus. — T. turgidum *Bieb.* — T. vesiculosum *Santi.*
M. spumosus. — T. spumosum *L.*

GALEARIA.

Trifolii spec. *Lin.*

Calyx bilabiatus in fructu excretus vesicarius basi superne valde gibbus, labio superiore longiore villoso bidentato post anthesim excrescente et labium inferius triden-

tatum immutatum fornicis modo tegente. Corolla gamopetala marcescens decidua cum tubo stamineo connata. Ovarium obovatum. Stylus oblique insertus, filiformis. Legumen obovato-subglobosum mono-dispermum indehiscens calyce reticulato-venoso multinervio inclusum. — Herbae perennes aut annuae; caulis decumbens; folia trifoliolata; capitula globosa axillaria pedunculata; flores sessiles basi bractea scariosa suffulti, rosei, aut albidi. — Genus Vesicariis Linnei et Vesicastro Seringe exclusis nonnullis speciebus respondens.

Species examinatae.

G. Cupani. — T. Cupani *Tineo.* — T. alatum *Biv.*
G. tumens. — T. tumens *Bieb.*
G. Bonanni. — T. Bonanni *Presl.*
G. fragifera. — T. fragiferum *L.*
G. tomentosa. — T. tomentosum *L.*
G. resupinata. — T. resupinatum *L.* — T. suaveolens *Savi.*

CALYCOMORPHUM.

Trifolii spec. *Lin.*

Calyces exteriores corolliferi fertiles in fructu campanulati aperti interioribus sub vel post anthesim excrescentibus sterilibus linearibus tenuibus deflexis involucrati; tubus tenuissime striatus, limbi dentes setacei ciliati aequales patentes. Corolla gamopetala cum tubo stamineo connata. Ovarium subrotundum. Stylus terminalis filiformis. Legumen calyce longius subglobosum monospermum. Semen irregulariter ovatum nigrum. — Herbae annuae ramosae; folia trifoliolata; pedunculi axillares; capitula globosa; flores albi aut purpurei, vexillo elongato. — Clar. Savi formationem calycum sterilium in Trifolio subterraneo optime describit, significationem eorum tamen non intellexit. Optime probatur, quid de calycibus sterilibus Trifolii subterranei habendum, si in Trifolio globoso, ubi jam sub anthesi adsunt, observantur. Caeterum in Trifoliis subterraneo et globoso calyx fructifer nec minime inflatur sed aequalis et campanulatus est. — Species hujus generis apud Linneum inter Lagopoda, apud Seringe prima inter Vesicastra, altera inter vera Trifolia (Eutriphyllum) obveniunt. Sprengel primam speciem inter desciscentia removet.

Species examinatae.

C. subterraneum. — T. subterraneum *L.*
C. globosum. — T. globosum *L.*

ADNOTATIO. Liceat aliquas Trifolii species a me ommissas addere et ad genera a me exstructa referre, nempe

Lupinaster circumdatus. — T. circumdatum *Kunze mss.*
Lupinaster depauperatus. — T. depauperatum *Desv.*
Amoria isthmocarpa. — T. rubicundum. *Schousb.* — T. isthmocarpum *Brot.*

AMORIA MACROPODA. TAB. XXXI.

A. annua, glaberrima, caulibus diffusis decumbentibus, foliolis obcordatis argute serrulatis, stipulis breviter acuminatis, pedunculis petiolum aequantibus, dentibus calycis setaceis tubo triplo longioribus demum patentissimis, fructibus longe pedicellatis, leguminibus stipitatis obovatis pubescentibus dehiscentibus dispermis vexillo duplo brevioribus, seminibus subovatis.

Habitat in pratis humidiusculis maritimis ad Drepanum Siciliae. ☺ Flor. Majo.

DESCRIPTIO.

Radix annua perpendicularis, ramosa, fuscescens, intus flavescens. Caules plurimi ex una radice, pedales et longiores, decumbentes, diffusi, teretes, striati, glaberrimi, ramosi, foliati. Folia petiolata, trifoliolata, foliolis quatuor lineas longis, usque tres lineas latis, sessilibus, obcordatis, argute serrulatis, glaberrimis, pinnatim parallele venosis, tenuibus herbaceis. Petioli usque tripollicares, filiformes, canaliculati, subtus striati, glaberrimi. Stipulae basi petioli insidentes, oppositae, usque tres lineas longae, ovatae, breviter acuminatae, integerrimae, glaberrimae, multinerviae, pallide virides, membranaceae, margine angustissime scariosae, basi connatae. Pedunculi petiolo paulo breviores aut subaequantes, axillares, solitarii, erecto-patentes, teretes, striati, glaberrimi. Capitula sub anthesi ovato-globosa, fructifera depresso-globosa subumbellata. Flores usque triginta, sub anthesi erecti dense imbricati sessiles aut subsessiles, dimidio majores quam in A. angulata. Bracteae ad basim floris vel pedicelli brevissimi, minutissimae, setaceae, persistentes. Calyx duas lineas longus, pallide viridis, glaberrimus, tubo campanulato semilineam longo decemnervi, limbo quinquedentato, dentibus tubo triplo longioribus, setaceis, in flore erectis, in fructu patentissimis, duobus superioribus longioribus. Corolla rosea persistens marcescens, vexillo libero oblongo retuso, alis oblongis basi carinae et tubo stamineo adnatis vexillo duplo fere brevioribus. Stamina diadelpha, tubo basi alis et carina connatis. Ovarium oblongum biovulatum. Stylus oblique insertus, filiformis. Stigma capitellatum. Fructus capitulum subumbellatum depresso-globosum formantes, penduli, pedicellati, pedicellis duas lineas longis arcuato-deflexis teretibus glaberrimis rigidulis. Legumen sesquilineam longum, linea angustius, oblique stipitatum, obovato-oblongum, compressum, pubescens, ob semina protuberantia torulosum, ad suturam marginatum, stylo persistente oblique mucronatum, ab apice basim versus dehiscens, bivalve, dispermum. Semina semilineam longa, ovato-subrotunda, inaequaliter angulata, ad hilum impressa, fusca.

Simillima A. angulatae (Trifolium angulatum W. K.), differt stipulis brevius acuminatis, floribus copiosioribus dimidio majoribus et sessilibus aut brevissime pedicellatis, pedicellis fructiferis crassioribus longioribusque, calycis dentibus tubo triplo longioribus setaceis in fructu patentissimis, leguminibus stipitatis obovatis pubescentibus semper dispermis vexillo duplo brevioribus.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXI.

1. Amoria macropoda, naturali magnitudine. 2. Flos, auctus. 3. Calyx, auctus. 4. Vexillum, auctum. 5. Ala cum tubo stamineo et dimidio carinae, aucta. 6. Pistillum, auctum. 7. Fructus, auctus. 8. Legumen, auctum, 9. Idem, a latere dehiscentiae repraesentatum, auctum. 10. Semen, auctum.

LUPINASTER ECKLONIANUS. TAB. XXXII.

L. glaber, caulibus decumbentibus diffusis, foliolis obcordatis argute serrulatis elevato-venosis, stipulis oblongis mucronatis, pedunculis axillaribus petiolo longioribus, capitulis subglobosis multifloris, bracteis minutissimis, floribus sessilibus, calycis corolla duplo brevioris dentibus subulato-setaceis ciliatis demum patentibus.

Trifolium. *Steud. et Hochst. pl. cap. exs. n.* 807.

Habitat ad caput bonae spei in paludosis montis Diaboli septentrionalis lateris. *Ecklon.* 24 Flor. Decembri.

DESCRIPTIO.

Radix perennis, subperpendicularis, ramosa, flexuosa, pallida. Caules plures ex una radice, digitales usque spithamaei, procumbentes, diffusi, simplices aut ramo uno alterove sterili brevi instructi, glaberrimi, teretes, striati, internodiis ad summum semipollicaribus. Folia alterna, petiolata, stipulata, trifoliolata, foliolis duas tresve lineas longis, usque duas lineas latis, sessilibus, obcordatis, argute serrulatis, glaberrimis, venis pinnatis elevato-striatis, viridibus, utrinque concoloribus, herbaceis. Petioli pollicares vel longiores, in foliis rameis breviores, canaliculati, glaberrimi, subtus tenuissime striati. Stipulae fere 4 lineas longae, lineam latae, basi petioli insidentes, oppositae, oblongae, cuspidato-mucronatae, basi inaequales et connatae, integerrimae, aut apice denticulis duobus-tribus instructae, nervosae, herbaceae, margine angustissime scariosae. Pedunculi axillares, solitarii, usque bipollicares, teretes, tenuissime striati, florentes apice sub lente puberuli, demum glaberrimi. Capitulum hemisphaericum demum subglobosum, quatuor lineas altum, usque vigintiquinqueflorum. Flores sessiles, imbricati, basi bracteati. Bracteae solitariae, liberae, scariosae, minutae. Calyx duabus lineis longior, tubo campanulato decemnervio albido glabro, fauce aperta, dentibus tubo longioribus aequalibus subulato-setaceis spinuloso-mucronulatis subfalcatis ciliatis, erectis, anthesi peracta patentibus. Corolla calyce fere duplo longior, vexillo libero obovato-oblongo, apice sub lente fortiori crenulato, multinervio, pallide caeruleo, alis semisagittatis carinaque obtusa basi cum tubo stamineo connatis azureisque atque vexillo paulo brevioribus. Stamina decem diadelpha, tubo filamentorum longitudinaliter fisso cum unguibus alarum carinaeque et illarum basi laminarum connatis, filamentis albidis, tenuibus, novem apice liberis, decimo a basi libero, antheris subrotundis flavis bilocularibus. Ovarium lineare uni-biovulatum. Stylus filiformis terminalis. Stigma capitellatum. Legumen lineari-oblongum indehiscens monospermum glabrum, tubi calycis longitudine.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXII.

1. Caulis Lupinastri Eckloniani, naturali magn. 2. Flos cum bractea, auctus. 3. Calyx, auctus. 4. Vexillum, auctum. 5. Ala cum tubo stamineo et dimidia carina, aucta. 6. Pistillum, auctum. 7. Legumen, auctum. 8. Foliolum, auctum.

TRIFOLIUM DASYURUM. TAB. XXXIII.

T. annuum, hirsutissimum, caulibus adscendentibus ramosis, foliis lanceolatis mucronulatis integerrimis, stipulis membranaceis nervosis longe acuminatis, spicis terminalibus pedunculatis conicis, calycis dentibus setaceis corolla longioribus deinde stellatim patentissimis.

Habitat verosimiliter in Creta. *Kohaut.* ☉

DESCRIPTIO.

Radix deest. Caulis ultrapedalis adscendens teres striatus ramosus foliatus pilis patentibus longis rectis albidis exsiccatione et aetate rufescentibus vix rigidulis densissime hirsutus, l. hirsutissimus, ramis simplicibus. Folia alterna stipulata petiolata trifoliolata, foliolis pollicem longis, quatuor lineas latis, sessilibus, lanceolatis, nervo medio excurrente mucronulatis, integerrimis, venis crebris simplicibus prominulis pinnatis instructis, utrinque pubescentibus. Petioli pollicares longioresve, supra plani, subtus convexi striati, pilis brevibus hirsuti. Stipulae petiolares amplae albidae membranaceae subscariosae, nervis utrinque septem viridibus simplicibus aut rarius apice furcatis percursae, integerrimae, ciliatae, acumine elongato subulato superatae, glabrae, nervis tantum extus pilis brevibus hirsutae, dorso connatae, spicas novellas et innubas partim involucrantes. Spicae in caule et ramis terminales solitariae, pedunculis usque bipollicaribus teretibus hirsutissimis insidentes, conicae, pollicem longae, multiflorae, ebracteatae, juvenes subglobosae basi acuta. Flores densissime imbricati, magni. Calyx hirsutissimus, tubo obovato-conico decemnervio sesquilineam longo, limbo quinquedentato tubum duplo superante, dentibus setaceis uninerviis intus glabris, sub anthesi erectis, in fructu stellatim patentissimis, quatuor superioribus aequalibus, inferiore seu quinto longiore, fauce pilis rigidis horizontalibus clausa. Corolla gamopetala calyce brevior, vexillo lanceolato violaceo a medio usque ad basim cum reliquis petalis connato, alis oblongis carinaque violaceis cum tubo stamineo connatis. Stamina decem diadelpha, filamentis novem in tubum membranaceum albidum superne longitudinaliter fissum et cum petalis usque pone apicem connatis, apice liberis subulatis, decimo libero subulato, antheris obovato-subrotundis. Ovarium obovatum basi attenuatum. Stylus terminalis filiformis. Stigma capitatum inclinatum. Legumen tubo calycis brevius, obovatum obtusum, basi attenuatum, teretiusculum, monospermum. Semen subglobosum lutescens.

Affine T. elongato, sed sufficienter diversum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXIII.

1. Caulis superior pars, naturali magnitudine.
2. Flos,
3. Flos longitudinaliter dissectus,
4. Calyx fructifer,
5. Ovarium cum parte styli,
6. Legumen,

} aucta.

TRIFOLIUM AFFINE. TAB. XXXIV.

T. annuum, pilis patentibus pubescens, caule erecto ramosissimo, foliolis oblongo-lanceolatis mucronulatis integerrimis, stipulis oblongis integerrimis longe acuminatis, spicis axillaribus terminalibusque pedunculatis ovatis, calycis hirsutissimi dentibus setaceis corolla brevioribus, vexillo emarginato.

Habitat . . . . . semina quondam nomine T. Lagopi accepi. ☉ Fl. jul.

DESCRIPTIO.

Radix annua tenuis flexuosa subramosa. Caulis solitarius pedalis vel longior, fili ligatorii crassicie, erectus, paniculatim ramosissimus, teres, tenuissime striatus, pilis patentibus mollibus albidis densis pubescens, ramis ramulisque alternis flexuosis. Folia trifoliolata, petiolata, stipulata, foliolis usque octo lineas longis, duas lineas latis, oblongo-lanceolatis mucronulatis integerrimis pinnatim venosis utrinque pilis patentibus pubescentibus, lateralibus sessilibus, medio subsessili. Petioli tres-quatuor lineas longi, tenues, canaliculati, subtus tenuissime striati pubescentes. Stipulae petiolares oblongae membranaceae albidae ciliatae, nervis purpurascentibus utrinque quinque-septem percursae, pube longiori quam in caule descripta pilosae, acumine cuspidiformi subulato piloso stipula aequilongo aut longiori superatae, dorso connatae, spicas novellas partim involucrantes. Spicae terminales axillaresque pedunculis usque pollicaribus teretibus pubescentibus instructae, sex-decem lineas longae, ovatae obtusae nutantes ebracteatae. Flores densissime imbricati. Calyx hirsutissimus, tubo semilineam longo ovato decemstriato, limbo tubum duplo superante quinquedentato, dentibus setaceis sub anthesi erectis, in fructu stellatim patentibus, quatuor superioribus aequalibus, quinto seu inferiore longiore. Corolla calyce longior alba aut pallide rosea, gamopetala, vexillo elongate obovato emarginato a medio usque ad basim cum alis et carina connato, alis oblongis carinaque invicem et cum tubo stamineo connatis. Stamina decem diadelpha, filamentis novem in tubum cum petalis usque supra medium connatis, apice liberis erectis setaceis, decimum liberum subulatum, antheris ovatis. Ovarium lanceolatum uniovulatum. Stylus filiformis terminalis. Stigma capitatum ciliolatum incurvum. Legumen (immaturum visum) obovatum obtusum monospermum.

Simillimum T. arvensi, sed differt pilositate, foliolis oblongo-lanceolatis integerrimis, stipulis oblongis longe acuminatis, spicis ovatis, corolla calyce longiore.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXIV.

1. Trifolii affinis pars superior, naturali magnitudine.
2. Flos,
3. Flos longitudinaliter dissectus,
4. Pistillum,
5. Foliolum,

} aucta.

PTEROTHECA.

ORDO NATURALIS. CYPERACEAE SCIRPEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. TRIANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Spiculae lanceolatae in capitulum globosum aggregatae. Squamae undique imbricatae, superiores duae floriferae, inferiores vacuae. Perigonium: setae quatuor scabrae ovario longiores. Stamina tria. Ovarium obovatum convexo-concavum late alatum. Stylus filiformis basi persistente. Stigmata duo. Caryopsis obovata convexo-concava laevissima latè alata.

CHARACTER NATURALIS.

Capitulum globosum e spiculis lanceolatis bifloris dense aggregatis compositum, involucro tetra-octophyllo deflexo munitum. Squamae quinque ad septem undique imbricatae ovatae acutae concavae, inferiores vacuae, superiores duae majores floriferae. Rhachicula recta brevissima. Flores solitarii, inferior hermaphroditus, superior masculus. Perigonium e setis quatuor erectis retrorsum scabris ovario et fructu duplo longioribus basi villo albo interstinctis constans. Stamina tria, filamentis angustissimis tenuiter membranaceis stylo brevioribus, antheris linearibus deciduis. Ovarium obovatum laevissimum hinc concavum illinc convexum, membrana lata basi convoluta apice bidentato-emarginata alatum. Stylus filiformis aequalis glaber, basi alae adnata persistente. Stigmata duo brevia filiformia glabra. Caryopsis obovata obtuso-rotundata convexo-concava membrana lata basi convoluta apice tridentata alata, styli basi filiformi alae concretae et ejus dentem medium efffciente mucronata, laevissima, glaberrima. Semen obovato-globosum compressum.

HABITUS.

Herba perennis. Radix fibrosa. Caulis erectus simplicissimus. Folia linearia basi vaginantia. Capitulum terminale.

AFFINITAS.

Clar. Kunth hanc stirpem ad Chaetosporas, cl. Roemer et Schultes ad Rhynchosporas retulerunt, quibus posterioribus in reliquiis Haenkeanis secutus sum. Differt vero a Chaetospora et a Rhynchospora nec non a Schoeno, cui Vahl, Willdenow et Rudge adnumeraverunt, sufficientibus characteribus, nempe perigonii setis quatuor, ovario concavo-convexo alato, stylo filiformi undique aequali basi cum ala connata persistente et caryopsidem laevissimam alatam mucronis adinstar coronante.

ETYMOLOGIA.

Derivatum est nomen a *πτέρον* ala et *θεκη* receptaculum.

PTEROTHECA VAHLII. TAB. XXXV.

Schoenus barbatus. *Vahl ecl. amer.* 2. *p.* 4. fide speciminis in herbario Willdenow.
Schoenus globosus. *Rudge pl. guj. p.* 14. *t.* 15.
Schoenus hemisphaericus. *Willd. herb.*
Chaetospora pterocarpa. *Humb. Bonpl. Kunth nova gen. et sp.* 1. *p.* 185. fide specim. Humboldtiani in herb. Willd. *Kunth synop.* 1. *p.* 158.
Rhynchospora pterocarpa. *Roem. Schult. syst. veg.* 2. *p.* 89. *Presl in Reliq. haenk. tom.* 1. *fasc.* 3. *p.* 199.
Habitat in humidis isthmi panamensis *Haenke*, prope Atures juxta ripam Orinocensem *Humboldt*, in Brasilia *princeps Maximilianus Neovid.* 2l Flor. Junio.

DESCRIPTIO.

Radix perennis fibrosa, fibris flexuosis fuscis ramosis teretibus. Caules plures ex una radice caespitem densum efformantes ultrapedales erecti simplicissimi glabri laeviter striati, basi rudimentis foliorum emarcidorum vestiti, inferne foliati, superne nudi. Folia semipedalia longiorave, sesquilineam lata, erecto-patentia, linearia, acuta, subciliata, apice et basi carinata, medio planiuscula, infima conferta subtus praesertim in nervo medio pubescentia, caulinum unicum infra medium caulis situm longe vaginatum infimis brevius subtus pubescens. Vaginae pilis patentibus dense pubescentes teretiusculae arcte adpressae integrae, foliorum inferiorum imbricatae, caulini fere tripollicaris. Capitulum terminale globosum involucratum diametro ut plurimum quinquelineari, rarius in speciminibus minoribus minori, rarissime majori. Involucrum foliaceum tri-octophyllum, phyllis linearibus acutissimis carinatis glabris aut basi ciliatis, deflexis, inaequalibus, nempe uno-duobus-tribus-quatuor capitulum duplo et plus superantibus, reliquis brevissimis. Spiculae duas lineas longae, numerosae, densae. Squamae fuscescentes glaberrimae versus basim decrescentes, inferiores steriles, superiores duae ovato-oblongae majores flores foventes. Flos inferior hermaphroditus perigonio instructus, superior masculus rudimento perigonii et ovarii instructus. Perigonii setae ferrugineae rigidae. Stamina tria erecta, filamentis filiformibus persistentibus, antheris linearibus deciduis. Ovarium flavescensalatum. Caryopsis nigricans styli basi brevi mucroniformi et cum ala alba membranacea undique ambiente coronata. Ala apice tridentata, dente medio ab apice styli basis persistentis proveniente.

Clar. Rudge in opere laudato ovarium vel caryopsidem verosimiliter pro gluma sumsit, glumam interiorem cuculliformem dicens.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXV.

1. Tota planta, naturali magnitudine. **2.** Spicula, aucta. **3.** Eadem, demta squama fertili, ut flos hermaphroditus appareat, aucta. **4.** Flos hermaphroditus sine squamis, aucta. **5.** Caryopsis a facie antica, aucta. **6.** Caryopsis a dorso, aucta. **7.** Caryopsidis sectio transversa, aucta.

RHYNCHOSPORA PAUCIFLORA. TAB. XXXVI.

R. caule erecto acute triquetro laevi, foliis linearibus planiusculis apice carinatis margine nervoque medio subtus scabrius, corymbis axillaribus terminalibusque pauciforis, spiculis glomeratis obovatis unifloris, squamis late ovatis, infimis mucronatis, caryopside subglobosa lenticulari rugosa brevissime et conice apiculata.
R. filiformis. *Sieb. fl. mart. exs. n.* 383. nec Vahl.
R. pauciflora. *Presl in Oken Isis.* 1828. *vol.* 21. *p.* 269.
Habitat in Martinica. *Kohaut.* 2|

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, fusca, plures caules et fasciculos foliorum caespitem efformantes emittens. Caulis pedalis, pennam columbinam basi crassus, acute triqueter, striatus, foliatus, glaberrimus, ad angulos laevis, basi reliquiis vaginarum emarcidarum fuscis et lacceris vestitus. Folia semipedalia, lineam lata, patentia, linearia, graminea, acuta, medio planiuscula, basi praesertim apice carinata, margine et nervo medio crassiore subtus scabra, utrinque glaberrima, tenuiter striato-nervosa. Vaginae teretiusculae, breves, integrae, striatae, glabrae, ore truncatae. Corymbi pauci, unus axillaris, alter terminalis, foliis superantibus suffulti, pedunculo fere semipollicari triquetro insidentes, ovati, pauciflori; rami bracteis setaccis margine scabris fere quatuor lineas longis duplo breviores, triquetri, angulis scabriusculi. Ochreae minutissimae. Spiculae in ramis ternae vel quaternae, glomeratae, sessiles vel brevissime pedicellatae, lineam longae, obovatae, unifiorae. Squamae quinque, fuscae, undique imbricatae, late ovatae, concavae, superiores majores obtusae nervosae, inferiores versus basim decrescentes nervo dorsali validiore excurrente mucronatae, suprema solummodo florifera, reliquae vacuae. Rhachicula brevissima flexuosa. Flos hermaphroditus. Perigonium: setae sex scabrae nigro-fuscae caryopside duplo breviores. Filamenta non vidi. Ovarium subrotundum, lenticulari-compressum, apice pertusum. Stylus filiformis, deciduus, basi in foramen ovarii apicale insertus. Stigmata duo, filiformia, scabra. Caryopsis subrotunda, lenticularis, subtrigona, dense rugosa, perigonii setis duplo brevioribus involucrata, fuscescens, sub apice linea circulari elevata crenulata instructa, mucrone brevissimo late conico obtuso ad recipiendam styli basim pertuso apiculata, nucamentacea, parietibus nempe crassis sublignosis. Semen flavescens, obovato-subrotundum, compressum, truncatum, mucronulatum, nitidum, cavitatem caryopsidis explens.

Differt a vera R. filiformi inflorescentia, spiculis, caryopside et styli basi. — Nostra planta caryopside nucamentacea a Rhynchosporis recedit.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXVI.

1. Tota planta, naturali magnitudine. 2. Spicula, aucta. 3. Squama superior fertilis, 4. Eadem a latere, 5. Squama inferior vacua, 6. Eadem a latere, 7. Caryopsis cum stylo et perigonio, 8. Eadem a latere visa, omnia magis aucta. 9. Seta una perigonii, 10. Caryopsis transversim, 11. Eadem longitudinaliter, 12. Eadem transversim et longitudinaliter secta, 13. Semen, haec adhuc magis aucta.

HUBERIA RESINOSA. TAB. XXXVII.

H. ramis tetragonis, foliis ellipticis acutis integerrimis trinerviis basi attenuatis, cymis corymbosis trifloris, calycis tubo laevi elongato basi urceolato, limbo quadridentato persistente, petalis inaequilateris, antheris unisetosis.
Habitat in Brasilia. *Herb. J. S. Presl.* ♄

DESCRIPTIO.

Frutex glaberrimus, ramis albidis ramulisque tetragonis oppositis erecto-patentibus. Folia opposita, exstipulata, petiolata, duos pollices longa, pollice latiora, elliptica, acuta, basi in petiolum semipollice longiorem supra canaliculatum subtus convexum attenuata, integerrima, coriacea, squamulis minutis densis albida, demum glabrescentia, trinervia, nervis subtus crassis prominentibus, supra lateralibus tenuibus medio crasso, venis pinnatis parallelis tenuibus apice furcatis. Cymae in ramis et ramulis terminales, oppositae, pedunculatae, in corymbos dispositae, triflorae, bracteis fugacibus instructae. Flores pedicellati, erecti, pedicellis quinque lineas longis teretibus striatis apice in juventute undique resina flavescente illinitis. Alabastra et fructus Caryophyllos referrentia. Calyx monophyllus, coriaceus, tubo quatuor lineas longo tereti laevi basi urceolato et in pedicellum attenuato, caeterum cylindrico, limbo quadridentato persistente, dentibus late ovatis obtusis patentibus crassiusculis resina supra indicata illinitis. Petala quatuor, inter calycis dentes et ad illorum basim inserta, unguiculata, obovata, acuta, inaequilatera, latere nempe exteriore majore producto, multinervia, uti videtur e sicco alba, decidua, in alabastro conica acuta aestivatione contorta resina jamjam descripta sed magis nitida illinita. Stamina octo, quatuor petalis, quatuor calycis dentibus opposita, erecta, fertilia, petalis vix longiora, filamentis simplicibus, apice ultra antheram in rostrum satis longum excurrentibus, dorso inter basim antherae seta uncinata acuta flexuosa instructis, antheris tres lineas longis, linearibus, bilocularibus, apice poris duobus dehiscentibus, polline evacuato undulatis. Ovarium parte calycis urceolata inclusum et basi adnatum, ovatum, quadriloculare, multiovulatum. Stylus filiformis filamenta longe excedens. Stigma acutum. Fructus semimaturus ovato-subrotundus, quadrilocularis, polyspermus in calycis Caryophyllos referrentis parte urceolata inclusus.

A reliquis Huberiae speciebus satis differt.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXVII.

1. Ramus florens, naturali magnitudine.
2. Flos auctus.
3. Flos longitudinaliter dissectus, auctus.
4. Stamen a dorso,
5. Stamen a facie, } magis auctum.
6. Stamen a latere,
7. Fructus semimaturus, auctus.

GRAMMATOCARPUS.

ORDO NATURALIS. LOASEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. POLYANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calycis limbus quinquepartitus, postea deciduus. Petala quinque, basi cucullata. Squamae quinque, cucullatae, triaristatae, basi intus filamentis duobus sterilibus conicis granulato-scabris instructae. Stamina creberrima, in fasciculos suboctandros disposita. Ovarium teres, lineare, elongatum. Stylus brevis triqueter. Stigma acutum. Capsula linearis, elongata, teres, basi spiraliter torta, usque ad basim trivalvis, valvis linearibus ad suturas placentiferis. Semina creberrima tuberculata.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calycis tubus elongatus, linearis, teres, limbus superus, quinquepartitus, laciniis lineari-oblongis patentissimis in fructu deciduis. Corolla pentapetala, petalis calycis laciniis alternis, fauci calycis insertis, basi cucullatis, concavis, denticulatis, erecto-patentibus, vix unguiculatis. Squamae petaloideae quinque, cum petalis alternantes, coloratae, basi cucullatae, concavae, acuminatae, interne crista tenui instructae, basi intus stamina sterilia duo brevia erecta conica acuminata granulis verrucaeformibus densis scabra antheris destituta gerentes, apice bicallosae, callis subtus concavis, in aristas tres clavatas erectas aequilongas prolongatae. Stamina quadraginta usque quadraginta tria, in fasciculos octandros enneandrosve disposita, fertilia, petalis opposita et cum iisdem inserta, in cavitate petalorum abscondita, filamentis filiformibus, antheris erectis cordatis bilocularibus longitudinaliter interne dehiscentibus. Ovarium cum tubo calycis connatum, elongatum, lineare, teres, uniloculare, multiovulatum. Stylus brevis triqueter erectus. Stigma acutum. Capsula linearis, elongata, spiraliter torta, striato-nervosa, apice basi styli et rudimentis laciniarum calycis coronata, longitudinaliter usque ad basim trivalvis; valvae lineares, apice spathulatae, ad suturas placentiferae, seminibus evacuatis flexuosae. Placentae filiformes tenuissimae, marginibus suturarum adnatae. Semina creberrima, minuta, globosa, tuberculato-aspera. Embryo oblongus in albumine carnoso centralis, cotyledonibus parvis planis.

HABITUS.

Herba perennis pubescens, caule volubili, foliis oppositis pinnatosectis, floribus axillaribus terminalibusque flavis.

AFFINITAS.

Ab omnibus Loasearum generibus differt calycis limbo deciduo, petalis basi cucullatis, squamis apice bicallosis et triaristatis, filamentis sterilibus conicis granulatis, ovario lineari elongato, capsula elongata lineari tereti trivalvi, valvis usque ad basim dehiscentibus, placentis adnatis.

ETYMOLOGIA.

Nomen habet a *γραμμη* linea et *καρπος* fructus, ob fructum linearem elongatum.

ADNOTATIO.

Hocce genus, insequentem speciem pluresque alias stirpes aut novas aut rarissimas a defuncto Kohaut, antequam in Senegambiam profectus est, emtione comparavi. Dolendum tamen, quod plurimae hae plantae omni indicatione patriae carent, et quod nullibi liquet, quisnam Botanicorum has stirpes collegit, aut e quonam herbario ortum ducunt.

GRAMMATOCARPUS VOLUBILIS. TAB. XXXVIII.

Habitat . . . . . 2l. *Herb. J. S. Presl.*

DESCRIPTIO.

Radix quidem deest, sed verisimiliter est perennis. Caulis bipedalis, fili ligatorii crassicie, teres, flexuosus, volubilis, foliatus, ramosus, ramis oppositis, aut sparsis, si oppositus abortu non evolvitur, aut ejus loco flos producitur, ramisque pilis patentibus simplicibus pubescens. Folia pollicaria, opposita, breviter petiolata, usque fere ad nervum medium pinnato-secta, segmentis oppositis lanceolatis obtusis saepissime trilobis rarissime bilobis, lobis lonceolatis integris obtusis supra pube simplici subtus sub lente fortiori pube glochidata vestitis. Nervus pinnato-ramosus vix prominulus. Petioli unam duasve lineas longi, exstipulati, planiusculi, folio decurrente marginati. Flores axillares ramis oppositi aut solitarii, vel in ramulis terminales, sessiles, erecti, mediocres. Calycis laciniae usque quatuor lineas longae, sub anthesi deflexo-patentissimae, post anthesim patentissimae, fructu maturo deciduae rudimenta relinquentes, lineari-oblongae, obtusae, planae, pilis simplicibus pubescentes, herbaceae. Petala flava, calyce duplo longiora, extus pilis simplicibus hirsuta. Squamae flavae, petalis triplo breviores, filamentis sterilibus aurantiacis, unguibus apicalibus coriaceis nitidis intensius coloratis, aristis pallidis. Stamina longitudine cavitatis petalorum, pallide flava. Ovarium septem lineas longum, semilineam latum, sessile, teres, pilis simplicibus pubescens, viride. Stylus laciniis calycis duplo brevior, glaber, ante maturescentiam fructus deciduus. Capsula sesquipollicaris, lineam in diametro crassa, pilis paulo excretis hirsutula, lineis elevatis longitudinaliter striata, basi spiraliter torta, valvis coriaceis, planis, intus nitidis flavescentibus, extus hirsutulis, demum diversimode flexis, apice spathulatis acutis crassioribus et rudimentis calycis munitis. Semina fusca.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXVIII.

1. Pars superior caulis, naturali magnitudine. **2.** Petalum ab anteriore facie, **3.** Idem longitudinaliter sectum, **4.** Squama a latere, **5.** Eadem longitudinaliter secta, **6.** Ejusdem apex a facie anteriore, **7.** Stamen, **8.** Fructus semimaturus, **9.** Isdem magis maturus, **10.** Isdem evacuatis jam seminibus, omnia aucta. **11.** Semen, **12.** Idem transversim sectum, magis aucta.

LOASA ATRIPLICIFOLIA. TAB. XXXIX.

L, ramosissima, inermis, caule foliis subtus calyceque petalisque extus pilis glochidatis scabro, foliis alternis, breviter petiolatis, ovatis, acutis, angulato-inaequaliter dentatis, supra simpliciter pubescentibus, floribus supraaxillaribus, folio brevioribus, calycis laciniis ovatis obtusis, ovario hispidulo.
Habitat . . . . 2|

DESCRIPTIO.

Rami, in quantum adsunt, usque pedales, erecti, teretes, tenuissime striati, albidi, iterum iterumque alterne ramosi, ramulisque pube alba glochidata retrorsum scabra densa patente vestiti, in ramulis superioribus accedunt pili semilineam longi flavescentes rigiduli reliquae pubi immixti vix prurientes. Internodia vix pollicaria. Folia alterna, petiolata, usque sesquipollicem longa, pollicem lata, plana, ovata, acuta, inaequaliter obtuseque dentata, inferiora lobato-angulata, superiora dentato-angulata, omnia supra pilis simplicibus albidis densis pubescentia, subtus pilis glochidatis retrorsum scabris albidis scabra. Petioli duas-sex lineas longi, subtus teretes, supra planiusculi, basi latiores. Flores solitarii, penduli, supra axillam folii proxime inferioris exorientes. Pedunculi duas ad quatuor lineas longi, teretes, arcuato-reflexi, pilis simplicibus densis immixtis pilis aliquot flavescentibus rigidulis pubescentes, albidi, uniflori. Calyx quinquepartitus, laciniis duas lineas longis, ovatis, obtusis subinde acutiusculis, extus pube glochidata scabris, intus pube simplici vestitis, patentibus, in fructu persistentibus. Petala quinque, flava, calycis laciniis alterna, eidem inserta, sat longe unguiculata, obovata, concava, extus pilis glochidatis simplicibus immixtis scabra, intus glabra. Squamae quinque, flavae, obovatae, ciliolatae, concavae, sub apice triaristatae, aristis aequalibus setaceis, interne basi foventes stamina duo sterilia basi flexuosa ciliolata adscendentia apice biloba, lobo interiore brevissimo subrotundo deflexo, exteriore elongato erecto setaceo. Stamina quadraginta, in quinque phalanges octandros disposita, petalis duplo breviora, fertilia, filamentis apice spiraliter tortis, antheris subrotundis bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus erectis. Ovarium ovato-turbinatum, calyce duplo brevius, pilis flavescentibus simplicibus glochidatisque vestitum, uniloculare. Stylus filiformis, simplex, erectus, pilosus, petalis brevior. Stigmata tria conniventia ita ut simplex videatur. Capsula ovato-turbinata, pube utraque in ovario descripta vestita, calyce patente coronata et illi aequilonga, unilocularis, apice trivalvis, rarius inaequaliter quinquevalvis, valvae extus pubescentes, quaelibet munita styli persistentis basi trifidi lacinia una. Placentae tres ad quinque, suturis valvarum cohaerentium respondentes, prominentes, lineares. Semina creberrima, minuta, ovata, rugosa.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XXXIX.

1. Pars superior plantae, naturali magnitudine. 2. Flos expansus, 3. Petalum, 4. Squama, 5. Stamina sterilia intra squamas degentia, omnia aucta. 6. Fructus, 7. Capsula aperta parte anteriore et calycis laciniis abscissis, utrumque naturali magnitudine. 8. Semen, auctum. 9. 10. 11. Pili diversi, aucti.

LOBELIA TRIPHYLLA. TAB. XL.

L. fruticosa, pubescens, foliis ternatis, petiolatis, ovato-lanceolatis, acuminatis, duplicato-dentatis, basi obtusis, pedunculis axillaribus, folium aequantibus, unifloris, calycis laciniis lanceolatis, acuminatis, tubo corollae integro, incurvo.
Habitat in Brasilia. *Herb. J. S. Presl.* ♃

DESCRIPTIO.

Frutex erectus, ramis pedalibus, teretibus, foliatis, pilis minutis densis pubescentibus. Folia ternato-verticillata, petiolata, ovato-lanceolata, acuminata, basi obtusa, creberrime et inaequaliter duplicato-dentata, dentibus angustis acutis ciliolatis, utrinque pilis minutis densis pubescentia, mollia, membranacea, venis primariis pinnato-venosa, secundariis reticulato-venosa, duos pollices longa, decem lineas lata. Petioli semipollice breviores, canaliculati, pubescentes. Flores in superiorum foliorum axillis ternato-verticillati, pedunculati. Pedunculi solitarii, teretes, pube minuta vestiti, erecto-patentes, ebracteati, uniflori, sesquitertium pollicem fere longi. Calyx pube minuta densa vestitus, tubo obconico, laciniis tubo longioribus, lanceolatis, acuminatis, uninerviis, aequalibus, corolla multoties brevioribus. Corolla fere sesquipollicaris, ex sicco rosea, pubescens, tubo incurvo, integro, apicem versus sensim ampliato, limbo quinquepartito, laciniis lanceolatis, acutis, aequalibus, tribus inferioribus recurvatis. Stamina inclusa, glaberrima, filamentis quinque, in tubum e basi conica filiformem connatis, basi tantum liberis, antheris linearibus, connatis, duabus inferioribus apice barbatis. Ovarium obconicum, inferum. Stylus e basi conica filiformis, filamentorum longitudine. Stigma bilobum, in tubo antherarum inclusum. Fructum non vidi.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XL.

1. Ramus Lobeliae triphyllae, naturali magnitudine.
2. Flos, auctus.
3. Genitalia, aucta.
4. Tubus stamineus longitudinaliter dissectus, ut stylus et stigma appareat, auctus.
5. Folii pars, aucta.

APOPLANESIA.

ORDO NATURALIS. LEGUMINOSAE CYRTOBLASTAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. MONADELPHIA DECANDRIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquefidus, laciniis subaequalibus, oblongis, trinerviis, demum excrescentibus. Petala quinque, calycis laciniis aequilonga, aequalia. Stamina monadelpha. Ovarium sessile, uniovulatum. Stylus filiformis. Stigma capitellatum. Legumen subellipticum, mucronatum, compressum, verrucoso-glandulosum, monospermum, indehiscens. Semen compressum.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx inferus, monophyllus, persistens: tubo brevi, campanulato, obsolete nervoso, limbo profunde quinquefido, laciniis obovato-oblongis, obtusis, trinerviis, coriaceis, demum excrescentibus et patentissimis, aequilongis, tribus superioribus aequalibus, duobus inferioribus paulo latioribus vix brevioribus. Corolla rosacea, pentapetala, petalis calyci incertis, oblongo-lanceolatis, acutis, trinerviis, aequalibus, liberis, patentibus, aestivatione imbricatis. Stamina decem, perigyna, monadelpha, fertilia, filamentis in tubum membranaceum brevem superne longitudinaliter fissum connatis, apice liberis filiformibus aequalibus, antheris cordato-subrotundis, bilocularibus, longitudinaliter interne dehiscentibus. Ovarium superum, sessile, compressum, margine superiore rectiusculum, inferiore gibbum, apice in stylum attenuatum, glandulis verrucaeformibus vestitum, pube minuta densa sericeum, uniovulatum. Stylus filiformis, rectus, apice adscendens. Stigma terminale, parvum, capitellatum, glabrum. Legumen calyce multoties brevius, subellipticum, sutura nempe inferiore gibbosiore, compressum, stylo persistenti mucronatum, declinatum, utrinque glandulis verrucaeformibus globosis munitum, pube adpressa densa minuta sericeum, indehiscens, monospermum. Semen subovatum, obtusum, compressum, hilo infra medium laterali, subrotundo. Funiculus umbilicalis brevissimus. Embryo dicotyledoneus, cotyledonibus viridibus carnosis cordatis planis, radicula super cotyledonum commissuram incurvata, ad hilum versa, plumula non conspicua.

HABITUS.

Arbor, foliis exstipulatis simpliciter impari-pinnatis, foliolis multijugis, floribus spicatis in paniculam foliatam dispositis.

AFFINITAS.

Quocum génere Leguminosarum compararem, nescio, nec audeo subordinem indicare. Ad Cyrtoblastas (Curvembryas) certe pertinet, sed corolla rosacea longe recedit; ad Orthoblastas (Rectembryas) corolla rosacea accedit, sed radicula incurvata distat. Loco latino-graecis terminis Curvembryae et Rectembryae nomina Cyrtoblastae et Orthoblastae propono.

ETYMOLOGIA.

Nomen desumtum ab *ἀποπλάνησις* aberratio, ob floris structuram a Papilionaceis aberrantem.

APOPLANESIA PANICULATA. TAB. XLI.

Habitat . . . . . *Herb. J. S. Presl.* 5

DESCRIPTIO.

Arbor verosimiliter procera, ramulis teretibus, gracilibus, striatis, pube pulverea vestitis, cinereis, glandulis verrucaeformibus oblongis sessilibus adspersis, foliatis, apice floriferis. Folia alterna, petiolata, impari-pinnata, foliolis sex-novemjugis, oppositis alternisve, pollicaribus, usque sex lineas latis, petiolulatis, oblongis, emarginatis, basi acutiusculis obtusisve, integerrimis, utrinque pube minuta vestitis, subtus glandulis punctiformibus flavo-translucentibus adspersis, deciduis. Petiolus usque semipollicaris, pube minuta dense vestitus, subtus convexus, supra canaliculatus, basi paulo incrassatus, ramulo inarticulatus. Rhachis folii seu petioli continuatio pube minuta vestita, supra canaliculata, subtus convexa. Petioluli glandulis subglobosis verrucaeformibus nigricantibus et pube minuta vestiti, rhachidi inarticulati, foliolorum lateralium linea longiores, terminalis longiores. Stipulae nullae. Spicae lineares, ramosae, multiflorae, ex axillis foliorum supremorum provenientes, paniculatae, pedunculatae, erecto-patentes. Pedunculi teretes puberuli, ut plurimum semipollicares. Rhachis angulata, pube pulverea adspersa. Bracteae minutissimae tuberculum persistens praeseferentes. Flores alterni, pedicellati. Pedicelli lineam longi, nudi, filiformes. Calycis tubus semilineam longus, obsolete quinquenervis, glandulis verrucaeformibus et pube pulverea vestitus, campanulatus, laciniae ciliatae, sub anthesi duas lineas longae, fructu maturo tres lineas longae, trinerviae, reticulato-venosae, pube pulverea et extus glandulis nigris globosis raris adspersae, in alabastro imbricatae sericeae. Corolla longitudine calycis laciniarum, quantum ex sicco affirmari licet, alba. Tubus stamineus corolla multiplo brevior, membranaceus, albidus, antheris flavis. Ovarium longitudine staminum, sericeum. Stylus longitudine calycis. Legumen sesquilineam vix longum, unam latum, laciniis calycis inferioribus adversum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLI.

1. Ramus fructifer, naturali magnitudine. 2. Flos, auctus. 3. Tubus stamineus cum pistillo, auctus. 4. Tubus stamineus, magis auctus. 5. Fructus, auctus. 6. Legumen, magis auctum. 7. Idem, longitudinaliter sectum, magis auctum. 8. Semen, magis auctum. 9. Embryo, magis auctus.

INGA MARTINICENSIS. TAB. XLII.

I. foliis simpliciter pinnatis, petiolo communi nudo ramulis pedunculisque ferrugineo-pubescenti, foliolis bijugis ovato-ellipticis acutis glabriusculis nervo medio utrinque velutinis, spicis solitariis oblongis, floribus sericeo-pubescentibus, corollae laciniis revolutis.

Mimosa coriacea. *Sieb. fl. mart. exs. n.* 325.

Habitat in insula Martinica. *Kohaut.*

DESCRIPTIO.

Frutex arborve sit, ignotum. Rami teretes, glabri, inermes, cortice cinereo. Ramuli semipedales, alterni, foliati, apicem versus pube ferruginea densa vestiti angulati, basim versus glabrati teretiusculi. Folia alterna, solitaria, petiolata, simpliciter abrupte pinnata. Foliola bijuga, opposita, petiolulata, ovato-elliptica, acuta, integerrima, coriacea, reticulato-venosa, venis primariis parallelis nervoque medio subtus valde prominentibus, utrinque pube ferruginea demum evanescente adspersa, supra nitida, subtus pallidiora et minus nitida, nervo medio et venis primariis praesertim supra pube ferruginea densa vestita, jugi inferioris viginti quatuor usque triginta lineas longa, sesquipollicem lata, basi rotundata subaequalia, jugi superioris triplo majora basi obtusa. Petioluli inarticulati, ancipites, pube densissima ferruginea vestiti. Rhachis inter juga foliolorum pollicaris, nuda, supra plana, subtus convexa, apice truncata i. e. ultra ultimum jugum non prolongata, undique pube densissima ferruginea vestita, inter foliola cujuslibet paris glandula cupuliformi sessili glabra instructa. Petiolus usque pollicaris, inarticulatus, apice teretiusculus, basi teres et paulo crassior, undique pube ferruginea densissima vestitus. Stipulae petiolares, geminae, ovatae, acutae, glabrae, adpressae, semilineam longae. Spicae ad apicem ramulorum axillares, solitariae, cylindraceo-oblongae, pedunculatae, bipollicares et longiores. Pedunculus usque pollicaris, teretiusculus, ferrugineo-dense pubescens. Flores dense imbricati, sessiles, bracteati, bracteis semilineam longis lanceolatis acutis extus pubescentibus deinde deciduis. Calyx duas lineas longus, campanulatus, quinquedentatus, pilis erectis sericeo-pubescens, dentibus ovatis acutis erectis aequalibus. Corolla calycem duplo superans, infundibuliformis, quinquefida, extus sericeo-pubescens, intus glabra, laciniis ovato-lanceolatis acutis aequalibus revolutis. Stamina sexaginta usque septuaginta, basi corollae inserta, corollam duplo superantia. Filamenta filiformia, glabra, inferne connata. Antherae minutae, subrotundae. Ovarium oblongum, sessile, pilosum, parvum. Stylus filiformis, glaber, longitudine staminum. Stigma obtusum. Legumen non vidi.

Differt ab I. sertulifera pube, foliolis et inflorescentia.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLII.

1. Ramulus florifer, naturali magnitudine. **2.** Flos, **3.** Flos longitudinaliter fissus, **4.** Bractea a dorso et latere, **5.** Calyx, **6.** Alabastrum mox ante anthesim, omnia aucta.

ALPINIA HAENKEI. TAB. XLIII.

A. foliis oblongo-lanceolatis, acuminatis, supra pubescentibus, subtus velutinis, racemo terminali, simplicissimo, erecto, multifloro, rhachi pedicellis patentibus capsulisque hirsutissima, calyce bilabiato, corolla extus velutina, labello subobcordato.

A. malaccensis. *Presl in Reliq. haenk.* 1. *p.* 110. excl. omnib. synon.

Habitat ad portum Sorzogon in insula Luzon. *Haenke.* 4

DESCRIPTIO.

Radix deest. Caulis videtur orgyalis, digiti crassicie, erectus, simplicissimus, teres, foliatus, undique vaginis foliorum vestitus. Folia sesquipedem usque duos pedes longa, tres pollices lata aut latiora, alterna, erecto-patentia, oblongo-lanceolata, acuminata, tenuissime marginata, integerrima, creberrime parallele pinnatim venosa, venis tenuissimis crassioribus intermixtis, basi in petiolum pollicarem canaliculatum dense pubescentem subtus convexum attenuata, supra pilis adpressis crebris pubescentia, subtus pube creberrima molli velutina. Vaginae imbricatae, undique caulem obtegentes, elongatae, tenuiter longitudinaliter striatae, membranaceae, pubescentes, apice in ligulam bifidam productae, lobis ligulae ovatis obtusis erectis extus densissime pubescentibus. Racemus terminalis, exsertus, pedunculo teretiusculo pubescenti duos pollices superanti insidens, erectus, simplicissimus, linearis, multiflorus, basi vaginis una-tribus lineam longis ochreaeformibus truncatis crenulatis ambientibus aphyllis munitus. Rhachis angulata, pilis erecto-patentibus brevibus rigidis densissime hirsuta. Flores pollicem longi, ideo A. malaccensi duplo fere minores, alterni, inordinate spirales, patentes, pedicellati. Pedicelli quatuor-sex lineas longi, dense hirsuti, patentes, uniflori, persistentes, in alabastris apice sub flore bractea monophylla ventricosa tenuiter coriacea velutina lateraliter et longitudinaliter ab apice usque fere ad medium fissa sub anthesi decidua instructi. Calyx superus, monophyllus, obovatus, coriaceus, velutinus, deciduus, usque ad medium bilabiatus, labio superiore latiore integro mucronato trinervio, inferiore bidentato, dente quolibet uninervi. Corolla ex sicco videtur alba aut rosea, petalo superiore oblongo complicato genitalia fovente extus velutino, petalis lateralibus aequilongis erectis oblongis obtusis extus velutinis, labello petalis vix longiore, pendulo, obovato, apice laevissime emarginato, plano, glaberrimo, basi lateribus involuto, brevissime unguiculato. Stamen unicum, petalo superiori aequilongum, filamento plano ultra antheras non producto, apice inter antheras emarginato, antheris linearibus parallelis a margine filamenti distantibus, inter se stylum recipientibus. Ovarium inferum, globosum, hirsutissimum. Stylus filamento longior, filiformis. Stigma obtusum. Capsula baccata, vix matura magnitudine pisi, subglobosa, hirsutissima, apice rudimento calycis coronata, trilocularis, oligosperma.

Ab A. malaccensi, quacum l. c. commiscui, toto coelo differt.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLIII.

1. Superior plantae pars ad dimidiam magnitudinem reducta. 2. Flos in bractea inclusus, 3. Calyx, 4. Flos integer, haec tria naturali magnitudine. 5. Labellum, auctum. 6. Stamen cum stylo, auctum. 7. Capsula immatura, nat. magn.

LEDOCARPUM ARGENTEUM. TAB. XLIV.

L. foliis oppositis, argenteo-sericeis, tripartitis, segmentis lineari-lanceolatis, basi attenuatis, involucri segmentis setaceis, antheris cordatis, seminibus angulatis.
Habitat verosimiliter in Chile. ♄

DESCRIPTIO.

Fruticulus sesquipedalis, erectus, ramis ramulisque oppositis erecto-patentibus teretibus, ramulis pube cinerea brevi densissima canescentibus, nonunquam dichotomis, si axis aut ramulus alter oppositus non evolvitur. Folia semper opposita, sessilia, exstipulata, usque ad basim digitato-tripartita, segmentis lineari-lanceolatis, acutis, planis, basi longe attenuatis, integerrimis, margine revolutis, utrinque argenteo-sericeis, subtus nervo medio simpliciter pinnatim venoso elevato instructis, medio sex ad decem lineas longo, unam usque sesquilineam lato, lateralibus paulo brevioribus, omnibus facile basi fragilibus et deciduis. Flores in ramulis terminales, solitarii, pedunculati. Pedunculus teres, filiformis, sericeus, nudus, pollicaris, ante anthesim apice incurvus. Alabastrum nutans. Involucrum calyci arcte adpressum, constans e foliis quinque cum sepalis alternantibus, usque ad basim saepissime tripartitis, saepe bipartitis, segmentis setaceis rectis sericeo-pubescentibus sepalorum duas tertias partes aequantibus, omnibus aequilongis. Calyx pentasepalus. Sepala quinque lineas longa, ex ovata basi oblongo-lanceolata, acutissima, trinervia, utrinque sericeo-pubescentia, pilis paginae interioris multo brevioribus, ante anthesim et sub anthesi basi juncta ut inde calyx quinquefidus videatur, post anthesim usque ad basim libera, persistentia. Corolla hypogyna, aestivatione spiraliter contorta, pentapetala. Petala obovata, unguiculata, calyce fere duplo longiora, lutea. Stamina decem, hypogyna, aequilonga, calyce plus quam duplo breviora. Filamenta subulata. Antherae cordatae, acutae, ad apicem filamenti adnatae, filamento aequilongae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes, flavae. Ovarium subglobosum, hirsutissimum, quinqueloculare, multiovulatum. Stigmata quinque, sessilia, erecta, apice reflexa, margine revoluta, interne purpurea carnosa papillosa, externe hirsutula albicantia. Capsula involucro calyceque persistentibus obvallata, ovato-subglobosa, densissime pubescens, cinerascens, loculicido-quinquevalvis, quinquelocularis, polysperma, valvis ovatis obtusis erectis ad tertiam capsulae partem liberis, intus medio septiferis. Placenta centralis quinqueloba. Semina badia, minuta, angulata, angulis marginata, biserialia, abortu uniserialia. Albumen carnosum. Embryo incurvus in axi albuminis.

Differt a L. chilensi foliorum et involucri segmentis, antheris et seminibus; a L. pedunculari (Cruckshanksia cistiflora *Hook.*) foliis oppositis, horum et involucri segmentis, sepalis, antheris, seminibus.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLIV.

1. Superior plantae pars, naturali magnitudine. 2. Flos demtis petalis, 3. Pistillum cum stamine, aucta. 4. Capsula, 5. Eadem sine involucro et calyce, nat. magn. 6. Semina, 7. Folium, aucta.

LASIANDRA MURICATA. TAP. XLV.

L. ramis alato-tetragonis petiolis pedunculisque adpresse setulosis, foliis petiolatis, oblongis, acutis, quinquenerviis, supra muricibus stellato-ramosis piliferis asperis, subtus dense pubescentibus in nervis setosis, racemo terminali, pedicellis uni-bifloris, calyce sericeo-pubescente, filamentis styloque villosis.

Habitat in Brasilia ad Bahiam. *Lhotsky.*

DESCRIPTIO.

Ramus ramulique pedunculique alato-tetragonus et undique setulis brevibus rigidis albidis adpressis vestitus, alis a medio ad apicem internodiorum latioribus. Folia opposita, petiolata, quadripollicaria et longiora, pollicem lata et latiora, elliptica, integerrima, basi apiceque acuta, ab ima basi quinquenervia, supra muricibus elevatis e stellata cartilaginea basi in setulam rigidam brevem abeuntibus scabra, subtus rugosula densissime pubescentia canescentia venis transversis numerosis lineata; nervi in superiori folii pagina tenues, in inferiori pagina elevati setis in ramo descriptis longioribus tamen dense vestiti. Petioli usque semipollicares, semiteretes, mediante linea transversa elevata connati. Racemus terminalis, trichotomus, multiflorus, palmaris. Pedicelli setulis in ramo descriptis vestiti, tetragoni, alati, supra medium a bracteis deciduis cicatrisati, inferiores biflori tres-quatuor lineas longi, superiores uniflori breviores. Bracteae in alabastris tantum obvenientes et illa involventes, obovatae, acutae, concavae, aequales aut subaequales, extus adpresse sericeo-pubescentes, intus glabrae. Calyx pube adpressa sericeus, tubo florente obconico, fructifero ovato basi attenuato, limbi laciniis ovatis margine late membranaceis coloratis, dorso extus linea e latiore basi attenuata sericeo-pubescente instructis, quae calycis laciniam angustam acuminatam efficere videtur. Petala quinque, libera, obovata, purpurea, ampla. Stamina decem, cum petalis fauci calycis inserta, aequalia, petalis aequilonga, filamentis subulatis a medio ad apicem pilis patentissimis villosis, antheris elongatis rostratis uniporosis, connectivo ad basim biauriculato. Ovarium calyci adnatum, apice setosum. Stylus staminibus brevior, filiformis, erectus, a basi usque supra medium pilis patentissimis villosus. Stigma obtusum. Capsula longitudine calycis tubi, sicca, elliptica, usque supra medium cum tubo calycis connata foraminulis triangularibus septis oppositis exceptis, apice libera setosa, quinquelocularis. Placenta centralis stellato-quinqueloba, lobis apice incrassatis obtusis. Semina creberrima, vix matura visa.

Habitus L. fissinerviae, sed nervis a basi divisis et reliquis signis distinctissima.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLV.

1. Ramus florens, 2. Alabastrum cum bracteis, 3. Flos, limbo calycis extenso, petalo uno solum residuo, magnitudine naturali. 4. Stamen, 5. Fructus, 6. Fructus transversim sectus, 7. Fructus longitudinaliter sectus, aucta. 8. Pagina superior folii, naturali magnitudine. 9. Murices in pagina folii superiore, aucti. 10. Pagina inferior folii, naturali magnitudine.

ERYTHRINA FISSA. TAB. XLVI.

E. caule arboreo ramisque aculeato, petiolis inermibus, foliolis ovatis, acuminatis, basi acutiusculis, junioribus utrinque ramulis petiolisque pubescentibus, racemo laterali, nutante, calyce spathaceo, apice inaequaliter bi-tridentato, vexillo oblongo-lanceolato, stamine decimo libero, reliquis subaequali.

Habitat ....., colitur in horto botanico panormitano. Fl. apr. maj.

DESCRIPTIO.

Arbor mediocris, trunco tereti ramisque aculeato, aculeis conicis rectis duris facile delabentibus et cicatrices subrotundas ovalesve planas relinquentibus, ligno albo. Ramuli novelli teretes, inermes, pube ferruginea minuta densissima vestiti. Folia decidua, alterna, petiolata, pinnata unijuga cum impari. Foliola (dummodo planta floret) usque sesquipollicem longa, parum angustiora, petiolulata, ovata, acuta aut saepius acuminata, basi acutiuscula, integerrima, pinnatinervia, herbacea, utrinque pubescentia, deinde calvescentia, lateralia opposita, terminale vix majus. Petiolus bi-tripollicaris, canaliculatus, subtus convexus, pubescens; petioluli foliolorum lateralium duas-tres lineas longi, supra plani, subtus convexi, pubescentes, basi utrinque glandula cylindraceo-oblonga nigricante stipati, folioli terminalis multo longior, sub apice glandulis duabus oppositis cylindraceo-oblongis obtusis patentissimis munitus. Stipulae caulinae, ovatae, obtusae, adpressae, extus dense pubescentes, fugaces. Racemi laterales, solitarii, pedunculati, nutantes, multiflori. Pedunculus bipollicaris, teres, lignosus, nudus. Flores sesquipollice longiores, alterni, penduli, pedicellati, bracteati. Pedicelli solitarii, duas lineas longi, teretes, apicem versus crassiores, velutino-rufo-pubescentes, basi bractea lineari acuta patente fugaci suffulti, apice sub calyce bracteolis duabus suboppositis linearibus deinde callos relinquentibus provisi. Calyx semipollicem fere longus, spathaceus, inferne per totam fere longitudinem fissus, apice inaequaliter bi-tridentatus, dentibus subdenticulatis, coriaceus, extus velutino-pubescens. Corolla calyce triplo longior, papilionacea. Vexillum coccineum, glaberrimum, oblongo-lanceolatum, falcatum, emarginatum, basi longe attenuatum, reliqua petala involvens. Alae calyce dimidio longiores, liberae, ovato-oblongae, obtusae, brevissime unguiculatae, nervosae, virides. Carina dipetala, alis vix longior, libera, oblonga, subfalcata, acutiuscula, brevissime unguiculata, nervosa, viridis. Stamina saepissime decem, diadelpha, filamentis novem in tubum vexillo paulo breviorem connatis apice liberis filiformibus, alternis brevioribus, decimo libero filiformi brevioribus aequilongo; subinde stamina undecim, decem in tubum connatis, undecimo libero. Antherae lineari-oblongae, obtusae. Pistillum longitudine tubi staminei. Ovarium stipitatum, lineare, compressum, multiovulatum, densissime pubescens. Stylus longitudine ovarii, compressus, glaber. Stigma terminale, minutum, capitellatum. Legumen stipitatum, torulosum, polyspermum. Semina subglobosa.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLVI.

1. Ramus florens, 2. Flos integer, 3. Flos ablato vexillo, 4. Calyx ab inferiori, 5. Calyx a superiori facie, 6. Vexillum, 7. Ala, 8. Carina, 9. Genitalia, 10. Pistillum, 11. Tubus staminеus cum undecim staminibus explanatus, omnia naturali magnitudine.

ERYTHRINA BRACTEATA. TAB. XLVII.

E. caule petiolisque inermi, foliolis ovatis, acuminatis, basi subcordatis, glabris, coriaceis, racemo terminali, bracteato, calyce campanulato, quinquedentato, basi bibracteolato, vexillo oblongo-lanceolato sericeo, stamine decimo libero, reliquis aequali.

Habitat in America aequatoriali.

DESCRIPTIO.

An arbor an frutex sit, ignotum. Rami florentes angulati, glabri, fusci, foliati, apice floriferi. Folia alterna, petiolata, unijuga cum impari, foliolis ovatis, acuminatis, basi laeviter excisis seu cordatis, utrinque glabris, integerrimis, pinnato-venosis, subtus pallidis, tenuiter coriaceis, lateralibus duos usque sesquitertium pollicem longis, sesquipollicem latis, oppositis, breviter petiolulatis, terminali majore. Petiolus glaber, canaliculatus, subtus striatus, basi callosus, usque tripollicaris, petioluli teretes, puberuli, inarticulati, basi glandulis duabus subrotundis sessilibus stipati. Stipulae delapsae. Gemmae ovatae, acuminatae, adpressae, concavo-convexae, sesquilineam longae. Racemus terminalis, trichotomus, multiflorus, ramis fastigiatis ad originem bracteis duabus oppositis ovatis acutiusculis munitis. Rhachis striato-angulata, pubescens. Flores sesquipollicares, solitarii aut bini, penduli. Pedicelli duas lineas longi, dense rufo-pubescentes, basi bractea solitaria, si solitarii, si tamen bini, bracteis duabus tribusve suffulti. Bracteae lineam longae, patentes, ovatae, acutae, scariosae, fuscae, tenuissime striatae, ciliatae, extus pubescentes. Bracteolae in apice pedicelli seu sub calyce, oppositae, calyci adpressae, bracteis conformes. Calyx quinque lineas longus, campanulatus, quinquedentatus, glaber, punctis nigricantibus variegatus, dentibus ovato-subrotundis acuminatis, duobus superioribus approximatis usque sub apicem connatis. Corolla coccinea? papilionacea. Vexillum oblongo-lanceolatum, obtusum, basi attenuatum, complicatum, alas carinam et genitalia involvens, externe pube adpressa sericeum. Alae liberae, oblongae, obtusae, breviter unguiculatae, basi usque ad medium dimidiatae, calyce duplo longiores, vexillo plus quam duplo breviores. Carina alis aequilonga, dipetala, oblonga, obtusa, sat longe unguiculata. Stamina decem, diadelpha, filamentis novem in tubum vexillo breviorem connexis apice liberis filiformibus, alternis brevioribus, decimo libero filiformi, antheris linearibus apiculatis. Pistillum longitudine vexilli. Ovarium stipitatum, lineare, compressum, densissime pubescens, multiovulatum, ovulis ovato-subrotundis hilo oblongo laterali. Stylus adscendens, compressus, extus pubescens, intus glaber. Stigma terminale, minutum, capitellatum. Legumen non vidi.

Ab omnibus hucusque notis Erythrinae speciebus sufficienter discedit.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLVII.

1. Ramus, 2. Flos, demto vexillo, 3. Flos, demtis petalis, 4. Calyx longitudinaliter scissus et expansus, 5. Ala et carina, 6. Ala seorsim, 7. Tubus stamineus, omnia magnitudine naturali. 8. Anthera ab antica et postica facie, aucta. 9. Ovarium, naturali magnitudine.

ANEURISCUS.

ORDO NATURALIS. GUTTIFERAE SYMPHONIACEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. MONADELPHIA PENTANDRIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquepartitus, persistens. Corolla pentapetala, globosa. Stamina quinque, monadelpha. Antherae extrorsae, filamento producto apiculatae. Glandula hypogyna urceolaris repanda. Ovarium glandulae insertum quinqueloculare. Stylus simplex. Stigmata quinque, stellata.

CHARACTER NATURALIS.

Calyx hypogynus, persistens, quinquepartitus, segmentis per aestivationem imbricatis. Corolla hypogyna, pentapetala, petalis calycis laciniis alternis et illarum basi sub glandula hypogyna insertis, obliquis, in globum conniventibus, per aestivationem contorto-imbricatis. Stamina quinque, hypogyna. Filamenta in tubum cylindraceum basi ventricosum connata, seu monadelpha, apice ultra antheras producta. Antherae exsertae, liberae, lineares, adnatae, extrorsae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes, filamento ultra apicem producto obtuse apiculatae, patentes. Glandula hypogyna, obconica, urceolaris, repanda, quinqueangularis, externe foveis quinque sat profundis instructa. Ovarium cavitati glandulae insertum, subglobosum, tubi staminei basi ventricosa obtectum, quinqueloculare, quinqueovulatum? Stylus simplex, cylindricus, longitudine tubi staminei. Stigmata quinque, e tubo stamineo exserta, crassiuscula, subfalcata, stellata, horizontaliter patentia, antheris alterna. Fructus ignotus.

HABITUS.

Arbor, ramis oppositis. Folia opposita, exstipulata, petiolata, integerrima, coriacea, transversim venosa. Flores terminales, corymbosi, speciosi, coccinei, ebracteati.

AFFINITAS.

In systemate naturali prope Canellam et Moronobaeam suum obtinet locum, ab utroque genere tamen gravissimis distinguitur characteribus. Liceat hic adnotare, quod Symphoniaceae potuis ordinem constituere merentur, quam tribum Guttiferarum.

HISTORIA.

Genus jam ab Aubletio subolfactum in Flora gujanensi tab. 313, fig. a — i. exhibetur et pag. 790 Flos arborum in montibus appellatur, ab auctoribus tamen floram gujanensem inquirentibus hucusque neglectum fuit. Stirps Aubletiana tamen alteram sistit speciem studio Botanicorum Gujanam adeuntium derelictam.

NOMEN.

Derivatum est ab *ανευρισκειν*, nam stirps hucusque vix nota denuo inventa illustratur.

ANEURISCUS EXSERENS. TAB. XLVIII.

A. pedicellis corolla longioribus, genitalibus exsertis, foliis elliptico-lanceolatis.
Habitat in Brasilia ad Bahiam. *Lhotsky.*

DESCRIPTIO.

Rami lignosi, ramulique oppositi teretes, fusci, subinde evolutione alterius rami impedita sparsi. Folia ad summum duos pollices longa, pollicem lata, opposita, elliptico-lanceolata vel oblongo-lanceolata, acuminata, in petiolum supra canaliculatum duas tresve lineas longum attenuata, integerrima, utrinque glaberrima, coriacea, sempervirentia, saturate viridia, subtus nervo medio et venis angulo fere recto orientibus simplicissimis aut apice furcatis parallelis prominulis instructa, supra venis his transversim lineata. Stipulae nullae. Corymbi in ramulis terminales sex-decemflori, ebracteati, abbreviati, ita ut fasciculum vel fere umbellam praeseferant. Pedicelli decem lineas longi aut pollicares, oppositi, suboppositi aut alterni, pentagoni, subinde spiraliter torti, glaberrimi, apicem versus crassiores. Calycis segmenta ovato-rotundata, exteriora duo acutiuscula, interiora tria obtusa, aestivatione imbricata, patentia, coriacea, persistentia, glaberrima. Petala calycem multoties superantia, in globum disposita, contorto-imbricata, coccinea, coriacea, decidua. Staminum tubus persistens, petalis paulo-longior, firmiter membranaceus, albidus. Antherae lineam longae, filamento plano longitudinaliter adnatae, apice filamenti semilineam longo obtuso superatae, extrorsae, patentes, adscendentes, lineares, biloculares, loculis parallelis longitudinaliter medio dehiscentibus. Glandula hypogyna calycis longitudine, obconica, apice concava, ut videtur e sicco, purpurea, carnosa, succosa. Ovarium cavitati glandulae insidens, ovato-subglobosum, quinqueloculare, ultra lineam longum, apice in stylum attenuatum, tubi staminei basi ventricosa obtectum. Stylus longitudine tubi staminei, basi teres, apice quinquangularis. Stigmata trigona, antheris fere duplo breviora.

Altera species sic erit definienda:

ANEURISCUS AUBLETII.

A. pedicellis corolla brevioribus, genitalibus inclusis.
Flos arborum in montibus. *Aubl. fl. guj.* 2. *p.* 790. *t.* 313. *f.* a — i.
Hab. in Gujana.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLVIII.

1. Ramus Aneurisci exserentis, naturali magn. 2. Alabastrum, 3. Flos, 4. Floris sectio transversa, 5. Petalum, 6. Flos sine petalis, 7. Genitalia cum glandula hypogyna, 8. Pistillum cum glandula et calyce, 9. Ovarii sectio transversa, omnia plus minus aucta.

ENDLICHERA.

ORDO NATURALIS. RUBIACEAE CINCHONACEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. TETRANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calycis tubus turbinatus, limbus persistens quadridentatus. Corolla rotata, limbo quadripartito patente, fauce barbata. Stamina quatuor, exserta, filamentis fauci insertis, antheris linearibus. Stylus exsertus. Stigmata duo, clavata. Capsula oblonga, calyce longior, bilocularis, apice dehiscens, bivalvis. Placenta centralis. Semina in quovis loculo solitaria, erecta, compressa, apice et basi alata.

CHARACTER NATURALIS.

Flores pedicellati congesti. Calycis tubus ovario adhaerens, turbinatus, limbus regularis, persistens, quadridentatus, erectus. Corolla summo calycis tubo inserta, rotata, tubo brevi tereti, limbo quadripartito, laciniis ovatis, acutis, planis, patentibus, per aestivationem valvatis, fauce dense barbata. Stamina quatuor, filamentis fauci corollae adnatis, laciniis illius alternis, filiformibus, corolla aequilongis, antheris linearibus, bilocularibus, introrsis, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium calycis tubo accretum, biloculare. Stylus ex apice ovarii exoriens, simplex, filiformis, erectus, filamenta non excedens, glaber. Stigmata duo, crassa, clavato-cylindracea, obtusa, verrucoso-glandulosa, divergentia. Capsula calyce longior, usque sub apicem calycis tubo vestita, apice libera, oblonga, tetragona, compressa, bilocularis, apice in valvas duas ovatas obtusas integras demum bilobas dehiscens. Dissepimentum lineare, valvis oppositum. Placenta centralis parva. Semina in loculis solitaria, perpendicularia, oblonga, externe convexiuscula, interne concaviuscula, medio linea elevata instructa, sub microscopio composito punctata, apice et basi membrana satis longa scariosa fusca alato-appendiculata, margine utroque anguste alata. Albumen carnosum. Embryo rectus in medio albuminis situs.

HABITUS.

Frutex volubilis, scandens, ramis oppositis, ancipitibus. Folia opposita, petiolata. Stipulae basi vaginantes, apice multisetae. Flores paniculato-corymbosi, terminales, parvi, in umbellas multifloras aggregati, distincte pedicellati, receptaculo globoso nequaquam insidentes.

AFFINITAS.

Ad tribum Cinchonacearum referro non obstantibus fructus loculis monospermis, qui in Cinchonaceis hucusque cognitis polyspermi inveniuntur. Ab omni alia a doctissimo Candollio exposita tribu seminibus alatis differt. Cum Hedyotideis veris, cum Euspermacocceis atque cum quibusdam Putoricis indole stipularum convenit, sed fructus et seminum structura diversissima locum adsignatum indigitat.

ETYMOLOGIA.

Genus dicatum in honorem clarissimi et amicissimi Stephani *Endlicher*, Philosophiae Doctoris, Botanicae cultoris strenuissimi.

ENDLICHERA BRASILIENSIS. TAB. XLIX.

Habitat ad frutices prope Bahiam Brasiliae. *Lhotsky*.

DESCRIPTIO.

Frutex, ut videtur ulnaris et longior, volubilis, scandens, ramis ramulisque oppositis, patentibus, flexuosis, debilibus, compressis, ancipitibus, ad angulos pubescentibus, purpurascentibus, tenuiter striatis, internodiis uni-tripollicaribus. Folia sesquipollicem longa, quinque-septem lineas lata, opposita, petiolata, lanceolata, acuminata, in petiolum attenuata, pinnato-venosa, supra glabra, margine et subtus in venis atque in nervo medio pubescentia, integerrima, herbacea, tenuia. Petiolus unam usque sesquilineam longus, ciliato-pubescens, supra canaliculatus. Stipulae connatae et ad longitudinem sesquilineae vaginantes, utrinque linea media decurrente atque ad exortum setarum dense pubescentes, caeterum glabrae, apice utrinque in setas quatuor ciliatas erectas usque tres lineas longas divisae. Flores umbellati, pedicellati, in paniculis terminalibus trichotomis dispositi, copiosissimi, hermaphroditi, minuti, vix semilineam longi. Bracteae setaceae, oppositae, ad basim umbellae rarius praeterea una alterave inter pedicellos positae, brevissimae. Pedicelli capillares, patentes, uniflori, unam usque duas lineas longi, glabri. Calyx glaber, tertiam partem lineae aequans, dentibus ovatis acutis. Corolla pallide rosea vel alba, calyce duplo longior. Capsula lineam longa, valvulis viridi-flavescentibus. Semina nigra, extus nitida, sub microscopio composito punctata, ala apicali et basilari oblonga obtusa reticulata.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA XLIX.

1. Ramus Endlicherae brasiliensis, magnitudine naturali. 2. Flos, 3. Calyx, 4. Corolla cum staminibus et stylo, 5. Corolla expansa cum staminibus, 6. Capsula a latere latiore, 7. Capsula a latere angustiore, 8. Capsula longitudinaliter fissa, semine anteriore evacuato, 9. Capsula transversim secta cum semine in utroque loculo, 10. Semen, 11. Seminis sectio transversalis; omnia magis vel minus aucta.

DICRANANTHERA.

ORDO NATURALIS. MELASTOMACEAE RHEXIEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. OCTANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calycis tubus globosus, limbus quadrifidus, laciniis ovatis, serrulatis, setis interstinctis. Petala nulla. Stamina octo, alterna minora, antheris oblongis erostratris uniporosis, minorum basi biauriculatis, majorum basi longe bisetosis. Capsula glabra, libera, globosa, bilocularis, bivalvis, columella clavato-fungosa. Semina oblonga.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calycis tubus globosus, octonervis, in pedunculum attenuatus, limbus quadrifidus, patens, persistens, laciniis ovatis acutis argute serrulatis tubo brevioribus aequalibus uninerviis seta recta rigidula interstinctis. Petala quoque in alabastro nulla. Stamina octo, quatuor calycis laciniis, quatuor setis interstitialibus opposita, summae fauci calycis inserta, calycis limbo duplo longiora. Filamenta filiformia, longiora calycis laciniis opposita, breviora setis opposita (calycis laciniis alterna). Antherae oblongo-ovatae, oblique-truncatae, erostratae, uniporosae, apice apertae, filamentorum breviorum basi brevissime, longiorum basi longe attenuatae, connectivo filamentorum breviorum minute biauriculato, longiorum geniculato et in setas duas longas horizontales divergentes producto. Ovarium liberum, globosum, calycis tubo brevius, glaberrimum, biloculare. Stylus terminalis, flexuosus, erectus, deciduus, apice incrassatus. Stigma obtusum. Capsula libera, globosa, laeviter compressa, glaberrima, apice retusa subquadriloba, calycis tubo minor, bilocularis, apice bivalvis, valvis cordato-emarginatis, polysperma, pericarpio sicco tenui. Columella centralis, clavata, fungosa, demum libera. Placenta columellam vestiens. Semina creberrima, oblonga, umbilico basilari ovali concavo, in disco tuberculo instructo.

HABITUS.

Herba annua, erecta, hirsuta. Caulis simplex aut subramosus. Folia sessilia. Flores axillares, solitarii, brevissime pedicellati, parvi.

AFFINITAS.

Ex umbilico basilari, ex ovario libero glabro et ex capsula sicca ad Rhexieas hocce novum genus pertinet, et pone Appendiculariam inserendum esse existimo. Ab omnibus hujus tribus generibus differt calycis laciniis, petalis nullis, structura antherarum et capsulae.

ETYMOLOGIA.

Derivatum ex *δικρανον* et *ἀνθερα*, nam connectivum filamentorum longiorum furcatum.

DICRANANTHERA HEDYOTIDEA. TAB. L.

Habitat ad Bahiam Brasiliae. *Lhotsky.*

DESCRIPTIO.

Radices annuae, fuscae, graciles, filiformes, fasciculatae e geniculis infimis caulis. Caulis digitalis vel palmaris, herbaceus, erectus, tetragonus, simplicissimus aut ramis aliquot sparsis patentibus tetragonis instructus, foliatus, pilis sat longis albidis apice glanduliferis hirsutus. Folia opposita, sessilia, exstipulata, oblongo-lanceolata, obtusa, basi attenuata, aequaliter serrata, trinervia, tenuia, herbacea, viridia, subtus pallidiora, juvenia utrinque pilis apice glanduliferis sparsis hirsuta, adulta utrinque glabra, inferiora quatuor lineas longa, sesquilineam fere lata, superiora sensim minora. Flores axillares, solitarii, parvi, pedunculo brevissimo intructi, ebracteati, plerumque secundi. Calyx viridis, glaber, duas lineas longus; setae inter lacinias limbi rectae, albidae, illis tertia parte breviores; faux aperta. Stamina flava, limbum calycis duplo superantia. Ovarium calycis tubo una tertia parte brevius. Stylus calyce brevior. Capsula in calycis tubo laxa et illo paulo brevior, flavescens. Semina minuta, fusca, sub lente fortissima impresso-punctata, oblonga vel subovoidea, linea longitudinali paulo elevata in dorso costata.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA L.

1. Dicranantlıera hedyotidea, magnitudine naturali.
2. Folii pagina inferior,
3. Flos,
4. Flos calyce longitudinaliter dissecto,
5. Stamen longius,
6. Stamen brevius,
7. Calyx fructifer,
8. Calyx fructifer cum capsula evacuata longitudinaliter secta,
9. Capsula a latere latiori,
10. Capsula dehiscens,
11. Capsulae sectio transversa,
12. Capsulae sectio longitudinalis,
13. Semen a latere,
14. Semen a dorso,

} plus minus aucta.

SYMBOLAE BOTANICAE.

VOLUMEN SECUNDUM.

SYMBOLAE BOTANICAE

SIVE

DESCRIPTIONES ET ICONES PLANTARUM NOVARUM AUT MINUS COGNITARUM.

AUCTORE

CAROLO BORZIWOGO PRESL,

MEDICINAE DOCTORE, HISTORIAE NATURALIS CAESAREO-REGIO PROFESSORE PUBLICO IN UNIVERSITATE PRAGENSI.

VOLUMEN SECUNDUM.

Mo. Bot. Garden,
1897.

PRAGAE,
SUMPTIBUS FRIDERICI TEMPSKY.
MDCCCLVIII.

SAMADERA GLANDULIFERA. TAB. LI.

S. foliis petiolatis, oblongis, acuminatis, coriaceis, reticulato-venosis, subtus in axillis venarum primariarum glandulosis, floribus tetrapetalis, octandris, squama ad basim staminum triloba, fructu solitario, obovato, latitudine duplo longiore.

Habitat in insulis Indiae orientalis.

DESCRIPTIO.

Arbor. Rami ramulique sparsi, rarius dichotome oppositi, teretes, glaberrimi, fusci, ligno amaro. Folia octo-duodecim pollices longa, tres-quatuor pollices lata, sparsa, petiolata, oblonga, integerrima, basi acuta, apice breviter acuminata, glaberrima, coriacea, venis elevatis praesertim subtus reticulata, subtus pallidiora et glandulis orbiculatis umbilicatis flavis ad ortum venarum primariarum infimarum oppositis sparsisque versus folii medium evanescentibus instructa, sempervirentia, nitida. Petiolus pollicaris, teres vel supra planiusculus, ad medium in sicco corrugatus, in folii costam mediam subtus elevatam excurrens. Pedunculus folio oppositus, solitarius, longitudine folii, filiformis, teres, glaberrimus, arcuato-deflexus, apice paululum incrassatus. Flores penduli, umbellati, terni, ebracteati, pedicellati. Pedicelli septem lineas longi, filiformes, teretes, glabri, ebracteati, uniflori, apici pedunculi inarticulati, fructiferi sesquipollicares a medio apicem versus glandulis verruculaeformibus minutis globosis copiosis sparsis obsiti. Calyx hypogynus, persistens, glaberrimus, quadrifidus, laciniis vix lineam longis, decussatis, aequalibus, ovato-subrotundis, patentibus, extus medio glandula globosa verrucaeformi munitis. Corolla hypogyna, octo lineas longa, tetrapetala, petalis oblongis, obtusis, planis, multinerviis, patentibus, aequalibus, albis?, glaberrimis, calycis laciniis alternis, aestivatione imbricatis. Stamina octo, hypogyna. Filamenta medio paginae interioris squamae lineam longae pubescentis trilobae inserta, plana, linearia, apicem versus attenuata, petalis breviora, lobo squamae medio obcordato erecto vel reflexo. Antherae dorso infra medium insertae, oblongae, obtusae, basi cordatae, biloculares, lineam longae, loculis longitudinaliter interne dehiscentibus. Ovarium axi paululum elongata insertum, subglobosum, quadripartitum, dense pubescens, partitionibus seu carpellis subtriquetris oblongis obtusis. Stylus simplex, filiformis, glaber, ex apice carpellorum exoriens, longitudine staminum. Stigma obtusum. Fructus ex abortu carpellorum trium solitarius, erectus, brevissime stipitatus, basi cicatricibus carpellorum abortientium signatus, sesquipollicem longus, pollicem fere latus, compressus, monospermus, indehiscens?, sub apice cicatrice orbiculari styli delapsi notatus; ex hac cicatrice veluti e centro venae crassae, ut plurimum octo, radiatim exoriuntur ramosae superiorem partem fructus percurrentes et cum venis quoque crassis e basi fructus exorientibus anastomosantes. Pericarpium carnosum. Semen sub apice fructus versus cicatricem styli affixum, solitarium, subglobosum, effoetum visum.

Differt a S. indica et S. lucida (Niota lucida Wall.) foliis coriaceis subtus glandulosis, filamentis pubescentibus squamae trilobae insertis. Genus certe Simarubaceis adnumerandum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LI.

1. Ramus florens, naturali magnitudine. **2.** Alabastrum, **3.** Genitalia, **4.** Stamen ab anteriori facie, **5.** Stamen a dorso, lobo medio squamae deflexo, **6.** Stamen a dorso, lobo medio squamae erecto, **7.** Ovarium cum stamine; 2 — 7 duplo aucta. **8.** Ovarium, magis auctum. **9.** Fructus, **10.** Fructus a latere angustiore cum cicatrice styli, **11.** Fructus longitudinaliter sectus; 9 — 11 naturali magnitudine.

LASIANDRA LHOTSKYANA. TAB. LII.

L. caule tetragono, hirsutissimo, nodis setosis, foliis petiolatis, ovatis, acutis, quinquenerviis, basi cordatis, utrinque adpresse villosis subsericeis, panicula ramosissima, pedicellis petiolisque hirsutissimis, calycis patentissime setosi tubo oblongo, lobis subulatis, filamentis glanduloso - pilosis.

Habitat in Brasilia ad Bahiam de todos los Santos. *Lhotsky.*

DESCRIPTIO.

Frutex elegans, ramosissimus. Rami ramulique oppositi, tetragoni, pilis horizontaliter patentibus reflexisve pallide ferrugineis rigidulis flavidis linea longioribus densissimis hirsuti, ad articulationes pilis setiformibus fere duplo longioribus instructi. Folia tripollicaria et longiora, opposita, petiolata, ovata, acuta, basi cordata, integerrima, quinquenervia, nervo extimo ante apicem evanescente, utrinque pilis densissimis adpressis villosa, supra intense viridia, subtus canescentia, margine praesertim juniora purpurea, pilis nervorum flavis. Venae transversales parallelae. Petiolus quatuor lineas longus, teres, pilis flavis patentissimis densissimis hirsutus. Panicula terminalis, multiflora, ramis inferioribus foliis suffultis. Rachis tetragona, pilis in caule descriptis hirsutissima. Pedunculi oppositi, tri - quadriflori, inarticulati, pilis in caule descriptis, brevioribus tamen, hirsutissimi. Pedicelli unam - duas lineas longi, teretes, hirsutissimi, pilis illis in caule conformibus, duplo tamen brevioribus. Bracteae ad basim pedunculorum et pedicellorum minutissimae, vix distinguendae, dilatationem articulationis praeseferentes. Bracteae calycem involucrantes duas lineas longae, oppositae, sessiles, ovatae, acutae, alabastro appressae, purpureae, extus pubescentes, intus glabrae, fugaces. Calyx quinque lineas longus, tubo ovato – oblongo basi attenuato undique pilis setulaeformibus rigidulis horizontaliter reflexis viridulis in juventute violascentibus vestito, limbo quinquepartito, laciniis subulatis planis purpureis, extus pubescentibus, intus glabris, tubo brevioribus, post anthesim reflexis. Corolla calycis limbo triplo longior, pentapetala, petalis calycis laciniis alternis obovatis ciliatis violaceis. Stamina decem, aequalia, quinque calycis laciniis, quinque petalis opposita. Filamenta pilis apice glanduliferis conspersa. Antherae aequales, elongatae, breviter rostratae, uniporosae, basi arcuatae, connectivo ad basim tumido biauriculato. Ovarium calycis tubo conforme, usque ad medium calycis tubo adnatum, apice setosum, quinqueloculare. Stylus filiformis, staminibus longior, glaber. Stigma obtusum. Capsula libera, longitudine calycis tubi, elliptico - lanceolata, hinc inde pilis aspera, basi attenuata, apice setosa, quinquelocularis, polysperma, immatura visa.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LII.

1. Ramus, naturali magnitudine. 2. Alabastrum cum bracteis. 3. Alabastrum adultius, 4. Calyx cum dimidio tubo transverse scisso et expanso, 5. Calyx defloratus, 6. Capsula e calyce evulsa, 7. Capsula transversim secta; 2 — 7 aucta. 8. Pars paginae folii superioris, 9. Pars paginae folii inferioris, utraque magis aucta.

SCLEROTHRIX.

ORDO NATURALIS. LOASACEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. DODECANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calycis tubus cylindraceus, limbus quadridentatus. Corolla tetrapetala, petalis sessilibus planis apice concavis. Stamina duodecim, aequalia, filamentis filiformibus. Ovarium calyci arcte adnatum, uniloculare, apice hirsutum. Stylus filiformis. Stigma emarginatum. Capsula calycis tubo spiraliter torto arcte adnata, apice dehiscens, quadrivalvis, unilocularis, polysperma. Semina subglobosa, scrobiculata.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx tubulosus, tubo cylindraceo-obconico, sub lente nervis quatuor tenuibus spiralibus munito, limbo quadridentato, dentibus ovatis. Corolla tetrapetala, petalis calycis fauci insertis, cum illius laciniis alternantibus, sessilibus, obovatis, planis, apice cucullatis. Stamina duodecim, cum petalis inserta, libera, ternatim disposita, filamentis filiformibus erectis aequalibus, antheris ovalibus parvis bilocularibus, loculis extus longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium calycis tubo adnatum et illi conforme, uniloculare, multiovulatum, apice convexum et hirsutum. Stylus simplex, anceps, rigidulus, hispidus. Stigma terminale, emarginatum. Capsula tubo calycis nervis spiralibus quatuor manifestis donato adglutinata atque illi conformis, calycis limbo corona-ta, apice in valvas quatuor dentiformes ovatas obtusas erectas calycis limbum superantes et cum illius laciniis alternantes rigidas cartilagineas extus pilosas dehiscens, unilocularis, polysperma. Placentae quatuor, filiformes, parietales, nempe juxta nervos spirales accretae, polyspermae. Semina minuta, globoso-ovalia, scrobiculata, umbilico arillo involucrato. Albumen carnosum. Embryo oblongus, centralis. Colyledones parvae, planae.

HABITUS.

Herba annua, scaberrima. Caulis erectus, ramosus. Folia opposita, integra. Flores terminales, racemosi, minuti, racemis fasciculatis.

AFFINITAS.

Differt a Mentzelia, Bartonia et generibus reliquis numero partium floris quaternario, nempe limbo calycis quadridentato, petalis quatuor, capsula quadrivalvi, placentis quatuor. Praeterea filamentis definitis liberis per triadem dispositis, stylo simplici ancipiti, seminibus plurimis, foliis oppositis atque inflorescentia racemoso-fasciculata.

ETYMOLOGIA.

Nomen habet a *σκληρός* asper et *θρίξ* pilus, ob pilorum murices revérsos et inde illorum et totius plantae scabritiem.

SCLEROTHRIX FASCICULATA. TAB. LIII.

Habitat in terris mexicanis.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, annua, tenuis. Caulis sesquipedalis, erectus, teres, ramosus, undique pilis reversis rigidis densis aculeis reversis scabris atque basi bulbosis scaberrimus, rami oppositi iisdem pilis scaberrimi. Internodia elongata, recta. Stipulae nullae. Folia opposita, petiolata, ovato-lanceolata, acuminata, basi in petiolum attenuata, acute et inaequaliter serrata, utrinque petiolisque pollicaribus supra canaliculatis his pilis in caule descriptis sed antrorsum versis vestita, et inde scaberrima ac cinerascentia, nervis alternatim pinnatis tenuibus parum prominulis. Racemi in ramis terminales, fasciculati, terni quaternive, pedunculati, quadri-decemflori, fasciculis hisce aut racemo uno ex his quatuor basi folio solitario lanceolato acuto breviter petiolato pilis in foliis caulinis descriptis vestito suffultis. Pedunculi duas-duodecim lineas longi teretes pilis horizontalibus scabris rigidis scabri. Rachis flexuosa pedicellique lineam longi calycesque iisdem pilis vestita. Flores ebracteati, duas lineas circiter longi, patentes, in racemis alterni, subinde flos solitarius alaris inter racemos obvenit. Calycis tubus in pedicellum attenuatus, limbi dentes minuti, intus glaberrimi. Corolla calycis limbo quadruplo longior, petalis flavis trinerviis extus pubescentibus. Stamina glabra. Capsula deflexa aut nutans, floribus duplo longior, valvis extus pubescentibus, intus nitidulis glaberrimis. Semina fusco-flava, sub lente scrobiculata.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LIII.

1. Caulis superior pars, naturali magnitudine. **2.** Flos integer, auctus. **3.** Stamen ab anteriori facie, **4.** Stamen a latere, **5.** Ovarii suprema pars cum stylo, magis aucta. **6.** Capsula, **7.** Capsula longitudinaliter secta. **8.** Capsulae sectio transversa ex alto visa; **6 — 8** aucta ut **1.** 9. Semen, **10.** Pilus, utraque valde aucta. **11.** Particula folii, aucta.

ANISOMERIS.

ORDO NATURALIS. RUBIACEAE GUETTARDEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. TETRANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calycis tubus obovatus, limbus quadripartitus, patens, laciniis inaequalibus. Corolla hypocraterimorpha, tubo gracili, limbo quadrifido, laciniis ovatis, acutis, patentibus. Stamina quatuor, ad faucem inserta, paulo exserta, antheris sessilibus, linearibus. Stylus filiformis, exsertus. Stigma bifidum, lobis patentibus, oblongis, obtusis. Drupa bilocularis, loculis monospermis. Semina linearia, teretia. Albumen carnosum.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi, capitati, involucro diphyllo minuto suffulti. Calycis tubus obovatus, limbus superus, quadripartitus, laciniis foliaceis, obovatis, obtusis, uninerviis, patentissimis, valde inaequalibus. Corolla calyce multoties longior, hypocraterimorpha, tubo gracili, recto, apicem versus crassiore, limbo quadripartito, patente, laciniis ovatis, acutis, aequalibus, fauce glaberrimis, aestivatione valvatis. Stamina quatuor, corollae fauci inserta et ejus laciniis alterna, filamentis nullis, antheris sessilibus, linearibus, rectis, e tubo corollae paululum exsertis, infra medium dorsi affixis, introrsis, bilocularibus, loculis extus longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium tubo calycis adnatum, biloculare, biovulatum. Stylus filiformis, aequalis, exsertus. Stigma bifidum, lobis oblongis, obtusis, patentibus, intus concavis. Fructus drupaceus, subellipticus, calycis limbo coronatus, epicarpio seu calycis tubo carnoso, loculis duobus, monospermis, inaequalibus, altero calycis limbi laciniis tribus respondente majore semen perfectum includente, altero laciniae limbi calycis unicae respondente angustiore aut semen angustius (imperfectum?) includente aut vacuo. Endocarpium ligneum, satis crassum. Semina linearia, obtusa, teretia, pendula. Albumen carnosum. Embryo in albumine centralis, teres, rectus, erectus. Cotyledones foliaceae.

HABITUS.

Arbor aut frutex. Rami divaricati, oppositi, altero ramulisque spinescenti. Folia opposita, sessilia. Stipulae interpetiolares, integrae, ovatae. Flores in pedunculis axillaribus capitati, albi.

AFFINITAS.

Quocum genere Rubiacearum feliciter compararem, nescio. Ad Guettardaceas Guettardeas retuli ob fructum drupaceum bilocularem, loculis monospermis, deinde ob semina teretia elongata erecta, et ob albumen carnosum.

ETYMOLOGIA.

Nomen habet ab ἄνισος inaequalis et μερίς pars, ob calycis limbi laciniarum inaequalitatem.

ANISOMERIS SPINOSA. TAB. LIV.

Habitat in Brasilia ad Bahiam de todos los Santos. Collegit ***Lhotsky***.

DESCRIPTIO.

Arbor frutexve sit, ignotum. Rami oppositi, divaricato - patentes, teretes, juniores apicem versus pilis patentibus fuscescentibus pubescentes, alter ramulisque in spinas semipollicares validas acutas foliiferas transmutatus, alter pedalis. Folia sesquipollicem fere longa, pollicem fere lata, opposita, petiolo semilineam longo ciliato pubescente subtus convexo supra plano insidentia, ovata, acuminata, obtusa, integerrima, coriacea, sempervirentia, adulta supra intense viridia, glaberrima, subtus pallidiora nervo medio pubescentia et in axillis venarum primariarum glomerulo villorum instructa, juniora ciliata; nervi pinnatim divisi, venulis reticulatis non prominulis. Stipulae interpetiolares, ovatae, acuminatae, patentes, extus villosae, lineam longae, deciduae. Pedunculi folio breviores, axillares, solitarii, rarius bini aut terni, filiformes, erecti, glaberrimi. Involucrum diphyllum, foliolis oppositis ovatis acuminatis minutis. Flores capitati, sessiles, saepius quini, rarius quaterni, terni aut bini, septem lineas longi. Calycis tubus lineam longus, pubescens, intense viridis, limbi laciniae foliaceae, herbaceae, glaberrimae, major lineam longa, minima quadruplo brevior, omnes uninerviae. Corolla extus pubescens, limbi laciniis linea brevioribus, extus pubescentibus, intus fauceque glaberrimis. Fructus quatuor lineas longi, obovato-elliptici, paulo obliqui, obtusi, bini aut solitarii, brevissime pedicellati, glaberrimi, calyce coronati, in sicco nigri. Loculi monospermi. Semen duas lineas longum pallide fuscum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LIV.

1. Ramus, naturali magnitudine. **2.** Capitulum triflorum, auctum. **3.** Corolla longitudinaliter fissa, aucta. **4.** Stamen ab antica facie, **5.** Stamen a postica facie, magis aucta. **6.** Pistillum cum calyce, auctum. **7.** Ramulus fructifer, naturali magnitudine. **8.** Capitulum fructiferum, **9.** Fructus decorticatus, **10.** Fructus apex ex alto visus, **11.** Fructus sectio longitudinalis, **12.** Fructus sectio transversa, **13.** Semen, **4.** Semen transversim sectum, omnia aucta.

VIVIANIA SPINESCENS. TAB. LV.

V. ramulis tomentosis, foliis petiolatis, ovatis, obtusis, integerrimis, supra puberulis, subtus albo-tomentosis et elevato-nervosis, pedicellis persistentibus, spinescentibus, calycis laciniis trinerviis, ovario capsulaque villosis, seminibus compressis bidentatis.
Habitat in Chili.

DESCRIPTIO.

Frutex pedalis, erectus. Rami oppositi, teretiusculi, fuscescentes, pubescentes, dein glabrati. Ramuli oppositi, subfastigati, pube brevi canescente tomentosi, apice floriferi. Folia opposita, petiolata, ad summum semipollicem longa, quatuor-quinque lineas lata, ovata, obtusa, integerrima, plana, sempervirentia, supra, praesertim juniora, pube minuta sub lente tantum visibili aspersa nervoso-lineata intense viridia, subtus densissime albo-tomentosa, costa media nervisque simplicibus elevatis crassiusculis. Petiolus semilineam longus, subtus convexus, tomentosus, supra canaliculatus glabriusculus. Flores terminales, corymbosi, ramis lateralibus medio diphyllis ut plurimum unifloris, rarius bifloris, ramo medio e pedicello constituto. Pedicelli quinque-sex lineas longi, teretes, filiformes, tomentosi, nudi, apice cum calyce articulati, flore fructuve delapso persistentes, spinescentes, pungentes. Calyx tres lineas longus, inferus, trifidus, persistens, albido-tomentosus, basi circa apicem pedicelli glandulis quinque globosis instructus, laciniis lanceolatis, acuminatis, erectis, elevate trinerviis. Corolla pentapetala, infera, petalis calycis laciniis alternantibus, calyce duplo longioribus, patentibus, obovatis, obtusis, longe unguiculatis, multinerviis, glaberrimis, persistentibus, in sicco badiis nitidulis (sicuti in Amarenis), in vivo verosimiliter roseis. Stamina decem, hypogyna, quinque longiora calycis laciniis, quinque alterna breviora petalis opposita, omnia fertilia. Filamenta filiformia, longiora squamulae obcordatae extus villosae ovario adpressae insidentia. Antherae oblongae, parvae, biloculares, longitudinaliter externe dehiscentes. Ovarium superum, villosum, obovatum, trigonum, triloculare, multiovulatum. Stylus brevissimus, cylindricus. Stigmata tria, linearia, obtusa, patentia, supra convexa, subtus canaliculata. Capsula calyce vix brevior, obovata, villosissima, canescens, calyce, corolla staminibusque persistentibus cincta, stigmatibus persistentibus coronata, trilocularis, apice usque ad tertiam longitudinis partem loculicido-trivalvis, hexasperma. Septa e medio valvularum exorientia, placentas filiformes dispermas gerentia. Semina funiculis umbilicalibus satis longis suspensa, superiora erecta, inferiora pendula, subrotunda, compressa, utrinque convexa, intus sulco longitudinali notata, apice ad utrumque latus umbilici dente conico brevi munita. Albumen carnosum. Embryo centralis, curvatus, radicula ad hilum versa, cotyledonibus linearibus.

Affinis Vivianiae roseae (Macraeae roseae Lindl. Hook.), differt foliis elevato-nervosis, pedicellis spinescentibus, calycis laciniis trinerviis, ovario capsulaque villosissimis, seminibus bidentatis.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LV.

1. Ramus, naturali magnitudine. **2.** Flos demtis petalis, **3.** Petalum, **4.** Stamina et pistillum, **5.** Stamen longius, **6.** Stamen brevius, **7.** Pistillum, omnia aucta. **8.** Stylus cum stigmatibus, magis auctus. **9.** Capsula vix matura, **10.** Capsula matura, **11.** Capsula longitudinaliter secta, **12.** Capsula transversim secta, auctae. **13.** Semen ab exteriori facie, **14.** Semen a latere, **15.** Semen longitudinaliter sectum, ut embryo appareat, **16.** Semen transverse sectum, magis aucta. **17.** Folii pagina superior, **18.** Folii pagina inferior, auctae.

PISONIA MACROCARPA. TAB. LVI.

P. arborea, foliis ellipticis, utrinque acutis, glaberrimis, coriaceis, floribus umbellatis, umbellis compositis, perigonio octo – decemdentato, fructibus linearibus, elongatis, glaberrimis, quadri – quinquecostatis.
Habitat in Indiae orientalis insulis.

DESCRIPTIO.

Arbor mediocris aut frutex arborescens. Rami ramulique oppositi, dichotomi aut quinato - verticillati, teretes, glaberrimi, patentes. Folia usque pedalia, quatuor pollices lata, opposita, rarius verticillata quaterna, petiolata, elliptico – lanceolata, basi apiceque acuta, integerrima, glaberrima, coriacea, sempervirentia, nervo medio subtus crasso, venis primariis pinnatis, suboppositis alternisque, distantibus, subparallelis, venulis invisibilibus. Petioli usque pollicares, glaberrimi, semiteretes. Gemmae axillares, subaggregatae, ovato – subglobosae, ferrugineo – tomentosae, lineam longae. Pedunculi in ramis terminales, solitarii, dichotomi aut trichotomi, teretes, aequales, glaberrimi, usque semipedem longi, patentes, apice summo incrassati. Umbellae in pedunculis terminales, tri – quadri – quinqueradiatae, compositae, radiis ex apice incrassato pedunculi orientibus, patentissimis, teretibus, inaequalibus, unum – duos pollices longis, apice paululum incrassatis, aut flores duos tresve aut hos atque umbellulam secundariam unam – duas gerentibus. Umbellulae secundariae bi – triflorae, pedunculatae, pedunculis his pedicellisque umbellulae primariae bi – septemlinearibus teretibus glaberrimis nudis patentissimis, pedicellis umbellulae secundariae unam – duas lineas longis teretibus patentibus. Flores tres lineas longi. Perigonium hypogynum, obovato - clavatum, obtusum, basi in pedicellum attenuatum, quinqueangulatum, angulo quolibet nervo elevato caesio munito, quinquedentatum, dentibus ovatis acutis marginatis aequalibus aestivatione inflexis. Stamina decem, hypogyna, perigonio breviora, filamentis erectis, subulatis, basi monadelphis, alternis brevioribus, in fructu persistentibus aequilongis, antheris ovatis, obtusis, sessilibus, bilocularibus, loculis externe longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum longitudine staminum. Ovarium oblongum, teres, uniloculare, uniovulatum, in stylum cylindricum attenuatum. Stigma obtusum, stylo paulo crassius. Fructus perigonio coriaceo, quadri - quinquecostato, undique clauso, subfalcato, lanceolato, apicem versus incrassato, bipollicari et longiore vestitus, basi filamentis persistentibus monadelphis erectis involucratus, lineari – lanceolatus, attenuato - acuminatus, teres, monospermus, fere sesquipollicem longus, linea parum latior, perigonii cavitatem non explens. Semen fructui conforme, pendulum. Albumen parcissimum, farinaceum. Cotyledones elongatae, spiraliter convolutae.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LVI.

1. Ramus, naturali magnitudine. 2. Alabastrum, auctum. 3. Flos perigonio longitudinaliter dissecto, auctus. 4. Stamina, aucta. 5. Pistillum, auctum. 6. Fructus, auctus. 7. Fructus longitudinaliter sectus, auctus. 8. Fructus quinquecostatus transversim sectus, auctus. 9. Fructus quadricostatus transversim sectus, auctus. 10. Fructus sensu strictiori, auctus. 11. Semen transversim sectum, magis auctum.

ACRONIA.

ORDO NATURALIS. ORCHIDEAE, MALAXIDEAE?
CLASSIS ET ORDO LINNEI. GYNANDRIA MONANDRIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Perigonium bipartitum, laciniis longissime attenuato-acuminatis, patentissimis, subaequilongis, superiore basi concava. Labellum perigonio brevius, usque ad basim bipartitum, laciniis linearibus, divergentibus. Gynostemium erectiusculum, apice orbiculare. Anthera sessilis, decidua. Pollinis massae pulvereae.

CHARACTER NATURALIS.

Perigonium profundissime bipartitum, laciniis patentissimis, ovato-lanceolatis, longissime attenuato-acuminatis, apice filiformibus, superiore basi concava trinervia, inferiore plana uninervia paulo breviore. Labellum lacinia perigonii inferiore brevius, usque ad basim bipartitum, laciniis divergentibus, linearibus, acuminatis, planis, pendulis. Calcar nullum. Gynostemium parvum, pedicellatum, apice orbiculare concavo-convexum inclinatum, dorso striatum. Anthera subterminalis in cavitate apicis gynostemii nidulans. Pollinis massae duae, pulvereae, oblongae. Stigma angustissimum. Ovarium lineari-subulatum, elongatum.

HABITUS.

Herba videtur terrestris. Scapus solitarius, erectus, monophyllus. Folium amplexicaule, latum. Spica terminalis. Flores majusculi, purpurascentes.

AFFINITAS.

Affinitas genera inter Orchidearum mihi ignota. Quoque tribus dubiosa.

HISTORIA.

In reliquiis Haenkeanis hocce genus jam exposui. Accuratiori examine instituto characteres emendavi et iconem, quantum e sicco specimine fieri potuit, curavi. Nihilominus stirps peregrinatoribus aut specimina bene constituta possidentibus repetito examini commendanda.

ETYMOLOGIA.

Nomen haustum ex *ἄκρον* acumen.

ACRONIA PHALANGIFERA. TAB. LVII.

A. phalangifera. ***Presl in rel. haenk.*** 1. *p.* 104.
Habitat in Peruviae montanis ad Huanocco. ***Haenke.***

DESCRIPTIO.

Radix deperdita. Scapus fere octopollicaris, teres, glaber, basi vagina membranacea amplexante acuta nervoso-striata sesquipollicem longa vestitus, apice monophyllus, caeterum nudus. Folium quatuor pollices longum aut longius, duos pollices latum, amplexicaule, ovatum, acuminatum, multinervium, glabrum, basim versus undulatum, basi in vaginam brevem cylindricam striato-nervosam productum. Spica pedunculata, terminalis, solitaria, erecta, simplicissima, laxa, folio sesquilongior. Pedunculus gracilis, striato-angulatus, bipollicaris, basi vagina pollicari ventricosa acuta convoluta membranacea munitus. Rhachis tenuis, angulata, glaberrima. Flores alterni, remoti, erecti, sessiles. Bracteae solitariae, oblongae, acutae, erectae, uninerviae, planiusculae, membranaceae, tres lineas longae aut paulo longiores. Perigonium siccatione Phalangio mutilatis aliquot pedibus non absimile, virescenti-purpurascens, profundissime bipartitum, laciniis divaricato-patentissimis, tenuibus, superiore quindecim lineas longa, basi duas lineas lata, inferiore paulo breviore et duplo angustiore. Labellum pollicem longum, tenerum. Gynostemium minutum. Pollinis massae pulvereae, oblongo-lineares, flavae. Ovarium octo lineas longum, erecto-patens, apice angulatum, basim versus attenuatum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LVII.

1. Tota planta naturali magnitudine. **2.** Folium a dorso, naturali magnitudine. **3.** Flos a latere, naturali magnitudine. **4.** Gynostemium a facie, auctum. **5.** Idem a dorso, auctum. **6.** Idem a latere, auctum.

INGA CILIATA. TAB. LVIII.

I. foliis pinnatis, petiolo communi alato, foliolis trijugis, oblongo-lanceolatis, acuminatis, ciliatis, basi subcordatis, utrinque nervo medio excepto glabris, pedunculis folio longioribus, axillaribus, ramulisque hirsutis, floribus laxe spicatis, villosis, bracteis lineari-lanceolatis, calyce aquilongis, legumine lineari, subfalcato, hirsuto.
Habitat in Brasilia ad Bahiam de todos los Santos. *Lhotsky*.

DESCRIPTIO.

Arbor vel frutex sit, ignotum. Rami alterni, teretes, fusci, lenticellis albo-luridis dense obsiti, glabri. Ramuli alterni, patentes, teretes, pilis patentibus ferrugineis hirsuti atque lenticellis minus tamen copiosis obsiti. Folia alterna, petiolata, simpliciter pinnata. Petiolus communis foliaceo-alatus, ad quodvis foliolorum par obovatus, apice ut plurimum in setam usque duas lineas longam rectam excurrens, ad costam mediam utrinque pilis laxis aspersus. Foliola (seu pinnae) ut plurimum trijuga, rarius quadri- vel quinquejuga, opposita, sessilia, basim versus decrescentia, infima semipollicaria, ovata, suprema sesquipollicaria oblongo-lanceolata, omnia acuminata, obtusa, ciliata, basi laeviter et oblique cordata, utrinque, nervo medio pilis asperso excepto, glaberrima, subtus pallida nitidula, supra intense viridia opaca, venis primariis pinnatis alternis, venulis reticulatis vix prominulis. Stipulae petiolares, lineares, acuminatae, planae, erectae vel patentes, ciliatae, utrinque glabrae, extus nervosae, deciduae. Glandula lineam fere longa, solitaria, stipitata aut sessilis, inter omnia foliolorum paria. Pedunculi tripollicares, axillares, solitarii, nudi, filiformes, teretes, pilis patentibus hirsuti. Spicae quinque-decemflorae, laxae, erectae. Bracteae fere tres lineas longae, acuminatae, ciliatae, glabrae, nervosae, patulae, post florum delapsum persistentes, inferiores lanceolatae, superiores lineares. Flores sesquipollicares, sparsi, in axilla bractearum sessiles. Calyx bractea paululum brevior, tubulosus, profunde quinquedentatus, membranaceus, quinquenervis, pubescens, dentibus ovatis acuminatis. Corolla alba?, calyce duplo longior, tubuloso-infundibuliformis, quinqueloba, intus glabra, extus sericeo-villosa, lobis lanceolatis patentibus interne glabris. Stamina plurima, purpurea, corolla fere triplo longiora, ultra corollam monadelpha, filamentis filiformi-capillaceis aequalibus rectis, antheris minutis subglobosis. Ovarium superum, lanceolatum, compressum, hirsutum. Stylus stamina superans, filiformis, rectus. Stigma capitatum. Legumen quatuor pollices longum, quinque lineas latum, sessile, erectum, lineare, mucronatum, plano-compressum, pilis fulvis patentibus copiosis rigidis dense hirsutum, polyspermum, vix maturum visum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LVIII.

1. Ramus, magnitudine naturali. 2. Flos cum bractea, auctus. 3. Calyx apertus cum pistillo, auctus. 4. Legumen in pedunculo et ramulo defoliato, naturali magnitudine. 5. Particula rami cum stipulis et parte folii, aucta.

VOCHYSIA LUCIDA. TAB. LIX.

V. foliis ternis, subsessilibus, e basi cordata obovatis, retusis, tenuiter venosis, glaberrimis, supra lucidis, racemis terminalibus, compositis, pedicellis calyceque minute pubescentibus, ovario glaberrimo.

Habitat in Brasilia ad Bahiam de todos los Santos. *Lhotsky.*

DESCRIPTIO.

Arbor mediocris. Rami teretes, glaberrimi, a vestigiis insertionis foliorum cicatrisati, internodiis bipollicaribus. Ramuli angulati, pube pulveracea sub lente conspicua flavescente tecti, internodiis tres vix quatuor lineas longis. Folia semiquartum pollicem longa, duos pollices lata, petiolo lineam longo semitereti crasso supra pube minuta flava vestito insidentia, patentissima, ternatim verticillata, obovata, rotundato-obtusa aut retusa, integerrima, basi cordata, utrinque glaberrima, coriacea, sempervirentia, supra lucida venis transversis laeviter lineata, subtus pallidiora nervo medio crasso percursa, in sicco flavescentia, racemum versus decrescentia, venis primariis pinnatis patentissimis pone marginem arcuatim conjunctis, venulis inconspicuis. Stipulae caulinae, ad utrumque latus baseos petioli solitariae, subulatae, erecto-patentes vel adpressae, duas tertias partes lineae longae, deciduae. Racemus in ramulis terminalis, tripollicaris, ovalis, multiflorus, compositus. Rachis obtuse angulata, pube minuta pulverea sub lente conspicua vestita. Pedunculi tres-quatuor lineas longi, ternatim verticillati sparsive, approximati, patentes, biflori, infimi tantum triflori, angulati, pube pulverea supra descripta vestiti, ad ortum pedicellorum bracteola sesquilineam longa lineari-lanceolata glabra decidua muniti, infimi basi bractea duas lineas longa lineari obtusa suffulti et utrinque cicatrice globosa glandulaeformi stipularum vices agente instructi. Pedicelli quatuor lineas longi, subaequilongi, angulati, pube pulverea minuta obtecti, interior prius florens plerumque ebracteolatus aut bracteola minuta lineari fugaci aut ejusdem cicatrice fusca instructus, exterior serius florens uni-subinde bibracteolatus, bracteolis linearibus acutis lineam longis alternis. Flores magnitudine V. ellipticae. Calyx quinquepartitus, laciniis duabus exterioribus semilineam longis ovato-subrotundis, duabus inferioribus interioribus duplo majoribus obovato-subrotundis, superiore maxima erecta oblonga, interne et margine petaloidea, basi in calcar longum obtusum curvatum prolongata, omnibus flavis, extus puberulis calcare excepto, usque ad basim circumscissam deciduis. Corolla tripetala, flava, petalis calyci insertis, unilateralibus, inaequalibus, patentibus, medio inter lacinias calycis duas interiores sito et iisdem triplo longiore obovato obtuso concavo, lateralibus inter calycis lacinias exteriores et interiores sitis oblongis obtusis planis intermedio minoribus. Stamina tria, petalis opposita, duo lateralia squamaeformia minima sterilia, medium fertile petalo medio aequilongum. Filamentum breve crassum. Anthera linearis, concava, quadrilocularis, immobilis, connectivo in utroque latere dilatato apice in cucullum laeviter ampliato, loculis longitudinaliter dehiscentibus linearibus. Ovarium ovatum, trigonum, trinerve, triloculare, triovulatum, deinde calycis basi circumscissa obliqua adnata suffultum. Stylus trigonus, erectus, stamine brevior, cavitati antherae incumbens, deciduus. Stigma trigonum, obtusum, latere versus antheram praecipue papillosum. Fructus non visus.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LIX.

1. Ramus, naturali magnitudine. **2.** Pedunculus biflorus, auctus. **3.** Flos explicatus, auctus. **4.** Calyx cum ovario, auctus. **5.** Genitalia, **6.** Stamen a dorso, **7.** Stamen a facie, **8.** Pistillum, magis aucta. **9.** Ovarium post anthesim cum basi calycis persistente, auctum.

GENIPA BARBATA. TAB. LX.

G. foliis oblongo-lanceolatis, breviter acuminatis, glaberrimis, nitidis, in petiolum brevem attenuatis, stipulis ovatis, deciduis, floribus terminalibus, corymbosis, dichotomis, corollae laciniis basi barbato-velutinis, stylo cylindrico.

Habitat in Brasilia ad Bahiam de todos los Santos.

DESCRIPTIO.

An arbor, an frutex sit, ignotum. Rami teretes, glaberrimi, cortice fuscescente vestiti, internodiis vix duas lineas longis. Folia crebra, opposita, petiolata, stipulata, quatuor-septem pollices longa, unum usque tres pollices lata, oblongo-lanceolata, breviter acuminata, obtusa, integerrima, repanda, in petiolum attenuata, utrinque glaberrima, tenuiter coriacea, supra intense viridia nitida, subtus pallidiora nitidula, costa media crassa subtus elevata, nervis elevatis pinnatis oppositis alternisque parallelis marginem versus arcuatis, venulis reticulatis vix prominulis. Petiolus tres-quatuor lineas longus, cum caule inarticulatus, semiteres, glaberrimus, basi incrassatus. Stipulae interpetiolares, amplexantes, solitariae, late ovatae, acutae, integerrimae, margine membranaceae, internodio tertia parte breviores vel illud subaequantes. Corymbus terminalis, dichotomus, ramis oppositis compressis glaberrimis tri-quadrifloris. Bracteae oppositae, sessiles, ovatae, acuminatae, scariosae, persistentes, sesquilineam longae. Pedicelli duas tresve lineas longi, teretes, glaberrimi, erecti, uniflori, rarissime biflori, medius nudus, laterales medio bibracteolati, bracteolis lineam longis, late ovatis, acuminatis, amplexicaulibus, scariosis. Calyx tres lineas superans, turbinatus, in pedicellum attenuatus, glaberrimus, in sicco niger, tubo brevi, limbo repando minute quinquedenticulato. Corolla pollicaris, coerulea?, hypocraterimorpha, extus velutina, tubus quatuor lineas longus, cylindraceus, limbus quinquepartitus, laciniae lanceolatae, acutae, planae, patentes, supra basi usque ad medium fauceque pilis tenuibus luteis basi fuscescentibus dense barbatae, caeterum glabrae. Stamina quinque, fauci corollae inserta, illius laciniis alterna, filamenta brevissima, antherae laciniis corollae duplo breviores, lineares, introrsae, biloculares, dorso versus basim affixae, patentissimae, conectivo basi truncato apice in acumen longum planum attenuato, loculis longitudinaliter extus dehiscentibus. Ovarium tubo calycis basi accretum, turbinatum, quinquecrenatum. Stylus cylindricus, filamentis longior, apice hamato-incurvus, in sicco niger. Stigma obtusum. Fructus ignotus.

Differt a G. americana floribus terminalibus, corolla violacea fauce et basi laciniarum barbata, antheris longe acuminatis. — An huc melius Janipaba Marcg. bras. 92. ic. Piso bras. 159 ic. refertur, quam ad G. americanam?

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LX.

1. Ramus, naturali magnitudine. 2. Corolla, tubo dimidio longitudinaliter fisso, naturali magnitudine. 3. Stamen situ naturali, 4. Stamen extensum a facie, 5. Stamen extensum a dorso, aucta. 6. Calyx cum ovario translucente, naturali magnitudine. 7. Ovarium, auctum.

ADESMIA ECHINUS. TAB. LXI.

A. fruticosa, ramosissima, ramis decumbentibus, ramulis pubescentibus, striatis, divaricato-spinescentibus, foliis fasciculatis, foliolis trijugis, sessilibus, lanceolatis, integerrimis, apice callosis, undique villosis, cinereis, floribus solitariis, axillaribus, legumine uniarticulato, calycem aequante, pilis longissimis plumosis vestito.
Habitat in regionibus Chilensibus.

DESCRIPTIO.

Fruticulus spithameus, a basi ramosissimus. Rami usque quatuor lineas crassi, lignosi, teretes, diffusi, divaricati. Ramuli teretes, pilis albidis simplicibus patentibus pubescentes, striis quinque elevatis obtusis striati, fusci, desinentes in spinas ramosas divaricatas rigidas pungentes teretes basi ut plurimum squama ovata acuta parva scariosa suffultos. Folia ob ramulos novellos abortientes fasciculata, terna, quaterna, rarius sparsa, stipulata, petiolata, abrupte pinnata. Pinnae seu foliola trijugae, oppositae, unam-sesquilineam longae, approximatae, sessiles, anguste lanceolatae, utrinque acutae, integerrimae, apice summo callosae, planae, aveniae, undique pilis satis longis cinereis densis simplicibus patentibus villosae et inde cinereae, crassiusculae, in sicco plerumque complicatae. Petiolus communis tres lineas longus, iisdem pilis uti in pinnis villosus, teretiusculus, apice in mucronem rigidulum unam tertiam partem lineae longum prolongatus. Stipulae petiolares, in utroque latere petioli solitariae, oppositae, subulatae, acutae, planae, pubescentes, scariosae, erectae, adpressae, semilineam longae, deinde deciduae. Flores axillares, solitarii, pedicellati, magnitudine A. muricatae. Pedicellus duas lineas paulo superans, teres, ebracteatus, pilis jam descriptis sed brevioribus et minus crebris villosulus, apice incurvus. Calyx sesquilineam longus, campanulatus, quinquedentatus, extus villosulus, dentibus ovatis acuminatis aequalibus erectis in fructu patentibus. Corolla papilionacea: vexillum croceum, unguiculatum, retusum, nervis purpureis subflabellatis lineatum, planum, patens, intus glaberrimum, extus dense pubescens nervis elevatis striatum; alae oblongae, obtusae, liberae, luteae, vexillo vix breviores; carina oblonga, obtusa, integra, lutea, alis aequilonga, alisque glabra atque nervis purpureis lineata. Genitalia in carina recepta. Stamina libera, ima basi monadelpha, glaberrima, filamentis novem in tubum longitudinaliter novemfidum dispositis apice liberis filiformibus, decimo fissurae superiori latiori tubi incumbente, basi cum reliquis connato et geniculato-inflexo, antheris oblongis sessilibus bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum staminibus longius. Ovarium ovatum, compressum, villosum, in stylum filiformem adscendentem glabrum attenuatum. Stigma capitatum. Legumen calyce paululum, longius, sessile, uniarticulatum, obovatum, compressum, oblique mucronulatum, latere exteriore convexo, interiore seu superiore recto, indehiscens, monospermum, pilis longissimis densissimis usque ad basim plumosis patentibus albidis vestitum. Semen cordato-subrotundum, compressum, fuscum, solitarium et loculum explens, suturae leguminis superiori funiculo umbilicali brevissimo affixum, radicula incurva.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXI.

1. Ramus, magnitudine naturali. **2.** Ramulus, **3.** Flos, **4.** Calyx, **5.** Corolla, **6.** Genitalia; **2—6** eodem modo aucta. **7.** Stamen e tubo, **8.** Stamen decimum, magis aucta. **9.** Pistillum, **10.** Legumen cum calyce, **11.** Legumen seorsim, **12.** Legumen longitudinaliter sectum cum semine, aucta.

ADESMIA ULICINA. TAB. LXII.

A. caule fruticoso, ramosissimo, erecto, ramis spinescentibus, pubescenti-glandulosis, foliolis quadri-quinquejugis, ovatis, acutiusculis petioloque tomentosis, racemis ovatis, spinescentibus calyceque glandulosis, bracteis ovatis, ciliatis, legumine tri-quinquearticulato, articulo unico longissime setoso-plumoso, reliquis villosissimis. Habitat in republica chilensi.

DESCRIPTIO.

Frutex bipedalis vel altior, erectus, ramosus. Rami divergenti-patentes, teretes, longitudinaliter striati, pube brevi adpressa simplici denique evanescente et glandulis pedicellatis sessilibusque adspersi. Ramuli eadem pube et glandulis vestiti, teretes, striati, apice in spinas simpliciter ramosas divaricatas rigidas acutas pungentes squama ovata acuta minuta suffultas desinentes. Folia sparsa, rarius bina (e ramulo abortivo brevissimo), semipollicaria, petiolata, stipulata, abrupte pinnata. Pinnae seu foliola ut plurimum quadri-quinquejugae, rarius tri-vel sexjugae, semilineam longae, oppositae, sessiles, ovatae, acutiusculae, integerrimae, erectae, crassiusculae, albido-tomentosae, aveniae, aequales, facile deciduae. Petiolus teres, albido-tomentosus, apice inter ultimum pinnarum jugum cuspide crassa brevissima desinens, pinnis delapsis per aliquot tempus persistens, deinde quoque deciduus. Stipulae petiolares, binae, oppositae, ad utrumque latus petioli solitariae, ovatae, acuminatae, nervosae, pubescentes, adpressae. Racemi in ramulis terminales, uni-bipollicares, ovati, simplices, quinque-septemflori, rachi pubescente glandulosaque apice in spinam pungentem rigidam desinente. Pedicelli quatuor-sex lineas longi, teretes, patentes imo horizontaliter patentes, glandulis sessilibus et pilo stipitatis flavescentibus satis dense obsiti, bractea minuta ovata acuminata ciliata glabra patente scariosa suffulti, persistentes. Flores ignoti. Calyx in fructu campanulatus, profunde quinquedentatus, quinquenervis, glandulis flavescentibus subglobosis obsitus, membranaceus, dentibus triangularibus acutissimis ciliatis. Legumen sessile, lineari-oblongum, rectiusculum, stylo persistenti filiformi longe mucronatum, tri-quadri-quinquearticulatum. Articulus unicus plerumque in medio leguminis situs fertilis, monospermus, setis longissimis albo-plumosis rectiusculis vestitus, reliqui vacui, duplo minores, setulis brevibus plumosis villosissimi, omnes semiorbiculati, i. e. sutura superiore recta, inferiore convexa instructi, demum ab invicem secedentes. Semina cordato-subrotunda, compressa, fusca, funiculo umbilicali brevi suspensa. Radicula incurva. Cotyledones planae.

Affinis quidem A. glutinosae, sed diversissima.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXII.

1. Ramus, magnitudine naturali. 2. Calyx, auctus. 3. Legumen cum calycis dimidio posteriori, auctum. 4. Articulus leguminis fertilis cum semine, auctus. 5. Ramulus spinescens, auctus. 6. Folium, auctum.

ADESMIA GENISTOIDES. TAB. LXIII.

A. caule fruticoso, ramosissimo, erecto, ramulis pubescentibus ramisque glandulosis, spinescentibus, foliolis quadri-quinquejugis, sessilibus, ovatis, acutis, denticulatis petioloque tomentosis glandulosisque, racemis ovatis, spinescentibus calyceque glandulosis, bracteis ovatis, pedicellis elongatis, legumine quadri-sexarticulato, longissime setoso-plumoso.

Habitat in republica chilensi.

DESCRIPTIO.

Frutex tripedalis, erectus, ramosissimus. Rami angulo acuto patentes, teretes, longitudinaliter tenuiter striati, glabri aut pube minuta demum evanescente vestiti, undique glandulis hemisphaericis fusco-flavescentibus copiosis sed non viscidis aspersi. Ramuli angulo minus acuto patentes, teretes, longitudinaliter tenuissime striati, pube adpressa copiosa canescentes, glandulis minutis punctiformibus aspersi, apice in spinas ramosas divaricatas rigidas lignosas squama ovata acuta glabra minuta suffultas desinentes. Folia sex-decem lineas longa, sparsa, petiolata, stipulata, paripinnata. Pinnae seu foliola ut plurimum quadrijugae, rarius quinque-rarissime sexjugae, oppositae, sessiles, ovatae, acutae, medio denticulo uno-duobus acutis serrulatae, crassiusculae, aveniae, deciduae, utrinque petioloque tomentosae cinerascentes atque glandulis minutis flavescentibus punctiformibus aspersae. Petiolus communis teretiusculus, apice in cuspidem obtusum brevem excurrens, basi nudus, pinnis delapsis persistens, deinde quoque deciduus. Stipulae semilineam longae, petiolares, binae, oppositae, una ad utrumque latus baseos petioli, lanceolatae, acutae, glabrae, membranaceae, petiolo delapso persistentes. Racemus in ramulis terminalis, ovatus, sesquipollicaris, simplex, quinque-decemflorus. Rachis teres, glabra, glandulis in ramis descriptis aspersa, apice in spinam simplicem ramosamve desinens. Pedicelli ultrapollicares, angulo acuto patentes, teretes, filiformes, glabri, glandulosi. Flores ignoti. Calyx fructifer sesquilineam longus, campanulatus, membranaceus, quinquenervis, extus glandulis punctiformibus flavescentibus aspersus et pube minuta simplici vestitus, quinquedentatus, dentibus ovato-triangularibus erectis aequalibus ciliatis. Legumen pollicare, sessile, stylo persistenti filiformi longe mucronatum, quadri-quinque-sexarticulatum, articuli sutura superiore recta, inferiore rotundata, compressi, setis quatuor lineas longis fuscis albido plumosis undique et densissime vestiti, omnes, infimo excepto, fructiferi, invicem secedentes, monospermi. Semina reniformi-subrotunda, compressa, fusca, funiculo umbilicali longiusculo suspensa, radicula incurva, cotyledonibus planis.

Affinis praecedenti, sed pluribus notis differt.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXIII.

1. Ramus, naturali magnitudine. 2. Calyx fructifer, auctus. 3. Legumen immaturum, naturali magnitudine. 4. Legumen maturum, articulis tribus apertis cum seminibus contentis, auctum. 5. Folium, auctum.

PURKINJIA.

ORDO NATURALIS. ARDISIACEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. PENTANDRIA MONOGYNIA.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx tubulosus, apice attenuatus, quinquedentatus, dentibus erectis. Corolla profunde quinquefida, laciniis planiusculis. Stamina quinque, petalis opposita, filamentis brevibus, antheris linearibus. Ovarium ovato-subglobosum, uniovulatum, in stylum teretem attenuatum. Stigma globosum.

CHARACTER NATURALIS.

Flores hermaphroditi. Calyx hypogynus, subcoriaceus, tubulosus, decemnervius, basi obtusus, apicem versus attenuatus, quinquedentatus, dentibus lineari-setaceis erectis. Corolla hypogyna, alba, gamopetala, calyce fere duplo brevior, profunde quinquefida, laciniis oblongis, acutis, concavis, aequalibus, uninerviis, aestivatione contortis. Stamina quinque, hypogyna, petalis opposita, fertilia. Filamenta brevia, planiuscula. Antherae lineares, obtusae, adnatae, biloculares, longitudinaliter externe dehiscentes. Pistillum superum, simplex, longitudine staminum. Ovarium ovato-subglobosum, quinquesulcatum, uniovulatum, in stylum teretem simplicem erectum attenuatum. Stigma globosum, terminale. Fructus ignotus.

HABITUS.

Frutex ramosissimus. Rami apice tumido-incrassati. Ramuli subverticillati, pube stellata tomentosi. Folia sparsa, petiolata, exstipulata, elliptica, integerrima. Umbellae terminales, ex apice ramuli tumido exorientes, pluriradiatae, involucratae, radiis corymboso-racemosis, inaequalibus. Flores capitati, numerosi, ebracteati.

AFFINITAS.

Fructus indole ignota, imo structura ovarii non satis clara, genus adhuc dubium. Ad Ardisiaceas relatum ob corollam gamopetalam in lacinias quinque divisam aestivatione contortam, ob ovarium uniovulatum stylumque simplicem. Calycis structura in Ardisiaceis insolita non obstat. Pro nostra sententia pugnant quoque ramificatio spurie verticillata, dispositio florum in capitulos, pubes stellata. Structura floris ex alabastro enucleata.

ETYMOLOGIA.

Nomen impositum in honorem *Joannis Purkinje*, M. D., Physiologiae professoris in universitate wratislawiensi, amici optimi, opere physiologico de cellulis fibrosis antherarum meritissimi.

PURKINJIA NODOSA. TAB. LXIV.

Habitat in terris mexicanis.

DESCRIPTIO.

Rami teretes, patentes, lignosi, ad ortum ramulorum in nodum obconicum semi-pollicarem incrassati, glabri. Ramuli ex incrassato rami apice irregulariter verticillatim exorientes, ut plurimum quini, patentes, pube stellata densissima et brevissima vestiti et inde cinerascentes, uno ceu continuatione rami fortiore florifero, reliquis tenuioribus brevioribus sterilibus. Folia in nodo rami incrassato spurie verticillata, quina, inaequalia, tria nempe multo minora; reliqua in ramis et ramulis sparsa, nonumquam approximata, ut subopposita evadunt, petiolata, inarticulata, elliptico-lanceolata, acuminata, basi acuta, integerrima, membranacea, pinnatim nervosa, supra opaca glabra, subtus pallidiora et pube stellata minuta albida creberrime punctata, quatuor pollices longa et subinde longiora, latissima pollicem et dimidium lata. Petiolus quatuor usque sex lineas longus, tomento supra descripto vestitus, subtus convexus, supra canaliculatus. Umbella in ramuli apice tumido-incrassati obconici fere quatur lineas lati terminalis, quinqueradiata, foliis duobus-tribus inaequalibus involucrata, tomento supra descripto vestita. Folia involucrantia caeteris foliis similia, sed minora, unum paulo inferius positum saepe squamaeforme. Radii teretes, patentes, inaequales, unus nempe sessilis, reliqui unum usque quinque pollices longi, ramosi, ebracteati, ramis sparsis uni-bipollicaribus iterum ramosis quoque ebracteatis. Flores in capitulis sessilibus aut brevissime pedunculatis aggregati, quini usque deni, duas lineas vix excedentes, grisei, pube stellata minuta tomentosi, ebracteolati. Corolla (in alabastro) alba, inclusa, calyce brevior.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXIV.

1. Ramulus, naturali magnitudine. 2. Calyx, auctus. 3. Corolla in alabastro, aucta. 4. Corolla explicata cum genitalibus, aucta. 5. Stamen a facie, 6. Stamen a latere, aucta. 7. Particula folii paginae inferioris, aucta.

FUCHSIA PYRIFOLIA. TAB. LXV.

F. caule tetragono, foliis ternato-verticillatis oppositisque, petiolatis, ovato-oblongis, acuminatis, integerrimis, basi subcordatis, floribus folio aequilongis, calycis tubo infundibuliformi, laciniis aequilongo, ovario oblongo.

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro.

DESCRIPTIO.

Frutex tri-sexpedalis, glaberrimus. Rami oppositi, obtuse tetragoni, patentissimi, tuberculis cicatricosis hemisphaericis ternato-verticillatis oppositisve a foliis delapsis instructi, cortice albido obtecti. Ramuli sulcato-tetragoni, herbacei, apice i. e. novelli pube pruinosa obtecti. Folia duos-tres pollices longa, duodecim-quindecim lineas lata, ternato-verticillata aut opposita, petiolata, ovato-oblonga, acuminata, integerrima, basi rotundata aut laeviter cordata, herbacea, supra laete viridia, subtus pallidiora, nervis pinnatis subtus prominulis, novella pube pruinosa fugaci vestita. Petiolus tres-quinque lineas longus, supra canaliculatus, subtus convexus. Stipulae minutae, ovatae, acutae, caducae, interpetiolares, ternato-verticillatae aut oppositae, deflexae, membranaceo-scariosae. Pedunculi bipollicares, axillares, solitarii, filiformes, nudi, uniflori, flaccidi. Calyx sexdecim lineas longus, coccineus, glaberrimus. Tubus octo lineas longus, infundibuliformis, supra ovarium constrictus, parte libera circiter sex lineas longa nervis tenuissimis signata. Laciniae quatuor, quoque octo lineas longae, ideo tubo aequilongae, lanceolatae, acutissimae, planae, septemnerviae, erecto-patentes, ultra duas lineas latae. Petala quatuor, in medio tubi calycis inserta, toto tubo libero aequilonga, laciniis calycis duplo breviora, obovata, integerrima, convoluta, violacea, venis anastomosantibus pluribus notata, glaberrima. Stamina octo, cum petalis inserta, calyce quarta parte fere longiora, alterna (nempe illa, quae petalis opposita sunt,) paulo breviora, erecta. Filamenta filiformia, glaberrima, coccinea. Antherae oblongae, utrinque obtusae, infra medium dorsi affixae, linea longiores, glabrae, biloculares, longitudinaliter a latere dehiscentes. Ovarium sesquitertiam lineam fere longum, oblongum, laeviter tetragonum, multivolutum. Stylus staminum longitudine, filiformis, glaber. Stigma globosum, pubescenti-velutinum, quadridentatum, dentibus acutiusculis. Fructus ignotus.

Similis videtur F. affini, sed differt foliis acuminatis integerrimis, calycis tubo laciniis acutissimis aequilongo, petalis calycis tubo libero aequilongis, stigmate globoso.

Mirum, stipulas in plerisque Fuchsiis valde visibiles hucusque viros oculatissimos de his tractantes effugisse.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXV.

1. Ramus, naturali magnitudine. 2. Petalum cum tribus staminibus cum lacinia calycis et parte calycis tubi, auctum. 3. Pistillum, calyce delapso, auctum.

TOVOMITA FOLIOSA. TAB. LXVI.

T. foliis lanceolatis, acuminatis, integerrimis, basi attenuatis, in ramis sterilibus crebris, floribus paniculatis, calyce tetrasepalo, petalis obovato-subrotundis, staminibus biserialibus, externis minoribus.

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro.

DESCRIPTIO.

Frutex undique glaberrimus. Rami teretes, laevissimi. Ramuli floriferi angulo acutissimo exorientes, teretes, oppositi, medius seu axis primariae continuatio abbreviatus. Folia opposita, petiolata, exstipulata, lanceolata vel oblongo-lanceolata, breviter acuminata, acuta, integerrima, basi in petiolum attenuata, subtus costa media nervisque pinnatis transversalibus crebris parallelis prominula instructa, supra laevissima vix venosa, tenuiter coriacea, in ramulis floriferis bipollicaria, distantia, in ramulo medio anantho creberrima approximata tripollicaria pollicem lata. Petiolus supra canaliculatus, subtus convexus, in ramulis floriferis tres lineas longus, in ramulo medio fere semipollicaris. Panicula terminalis, erecta, multiflora; radii floriferi duas-sex lineas longi, oppositi, angulati, triflori, infimi foliis suffulti et illis plus quam duplo breviores, medii basi nudi, superiores bracteis deflexis ovato-lanceolatis acutis lineam longis deinde caducis suffulti. Pedicelli duas-tres lineas longi, tetragoni, umbellam simplicem constituentes, subaequilongi, basi bracteis oppotitis ovato-lanceolatis acutis deflexis lineam longis deinde caducis suffulti, laterales medio bracteolis oppositis ovatis acutiusculis adpressis semilineam longis instructi, medius nudus aut rarius iisdem bracteolis munitus. Calyx tetrasepalus, coriaceus, laevis, nitidus, persistens, sepalis decussatis subrotundis concavis, duobus exterioribus lineam longis, duobus interioribus duplo longioribus. Petala quatuor, hypogyna, obovato-subrotunda, sepalis majoribus duplo longiora, concava, ex sicco albida, decidua. Stamina viginti, hypogyna, biseriata, interioribus ovario triplo fere brevioribus exteriora plus quam duplo duperantibus. Filamenta succosa, brevissima, lata, ultra antheram apiculata. Antherae adnatae, biloculares, loculis distantibus linearibus parallelis. Ovarium globosum, laevissimum, quadriloculare, loculis uniovulatis. Styli nulli. Stigmata quatuor, sessilia, obovata, crassa, plana, stellatim patentissima et ovario adpressa, persistentia. Capsula pyriformis, glaberrima, fusca, stigmatibus coronata, calyce cincta, septem-octo lineas longa, quadriloba, quadrilocularis, tetrasperma, saepius abortu uni-bi-triloba, uni-bi-trilocularis, mono-di-trisperma. Pericarpium coriaceum, succo violaceo acerbo-acido scatens. Dissepimenta coriacea valvulaeque purpurea, laevia. Columella centralis, placentifera, linearis, in apice capsulae desinens. Semina septem lineas longa, in loculis solitaria, oblonga, utrinque obtusa, trigona, extus convexa, erecta, versus basim loculi umbilico lineari-oblongo linea longiore affixa, arillo membranaceo fuscescente umbilico circumcirca adnato et hoc ex puncto radiatim multinervio involuta. Epispermium chartaceum, dendroideo-nervosum. Albumen nullum. Nucleus ab integumentis separabilis, resina flava scatens, carnosus, nigrescens. Radicula infera, satis magna, hilum spectans. Cotyledones magnae, coalitae.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXVI.

1. Ramus, nat. magn. **2.** Alabastrum, **3.** Flos expansus, **4.** Flos clausus, sine petalis, **5.** Flos expansus, petalis delapsis; omnia aucta. **6.** Pars staminum, a tergo, **7.** Stamina duo, a facie interna; utraque magis aucta. **8.** Ovarium, transversim sectum, auctum. **9.** Ramulus fructifer, **10.** Fructus trispermus, pericarpio transversim secto, **11.** Semen a ventre, **12.** Semen a dorso, **13.** Semen a latere, **14.** Semen transversim sectum, omnia arillo involuta, **15.** Semen arilli parte anteriore rescissa, **16.** Semen, arillo et testa longitudinaliter fissis atque explicatis, unde nucleus conspicitur. **17.** Semen, arillo remoto, **18.** Nucleus seminis; 9 — 18 nat. magnit.

BRONGNIARTIA GALEGOIDES. TAB. LXVII.

B. glaberrima, foliis pinnatis cum impari, foliolis tri-sexjugis, petiolulatis, ellipticis, breviter acuminatis, coriaceis, subtus reticulato-venosis, stipulis maximis, semicordatis, inaequalibus, floribus racemosis, pedicellis geminis, legumine longissime aristato.
Habitat in America tropica.

DESCRIPTIO.

Frutex pluripedalis, erectus, ramosissimus, undique glaberrimus. Rami ramuliqüe teretes vel obscure angulati, fusci, sparsi, angulo acuto exorientes. Folia usque quadripollicaria vel paulo longiora, sparsa, simpliciter pinnata cum impari. Pinnae seu foliola tri-sexjugae, oppositae, petiolulis lineam fere longis inarticulatis teretibus rugosulis insidentes, decem usque quatuordecim lineas longae, quinque-sex lineas latae, ellipticae, integerrimae, brevissime acuminatae, basi obtusae, coriaceae, subtus venis prominulis reticulatae, reticulo venoso supra quoque conspicuo, terminalis seu impar pedicello quatuor lineas longo instructa, lateralibus paulo major, basi acutior. Juga circiter semipollicem distantia. Petiolus communis cauli inarticulatus, teres aut supra planiusculus, basi paululum incrassatus, pinnis delapsis per aliquot tempus persistens. Stipulae ad imam basim petioli sitae, geminae, oppositae, sessiles, semicordatae, obtusae, integerrimae, coriaceae, multinerviae, reticulato-venosae, inaequales, deinde deciduae, altera sex-decem lineas longa, altera brevior et angustior citius decidua. Racemus terminalis, erectus, sessilis, multi- (usque octodecim-) florus, tri-quadripollicaris. Rachis flexuosa, angulata, glaberrima, internodiis bisexlinealibus. Pedicelli sparsi, gemini, patentes, tetragoni, nudi, quinque-septem lineas longi, apice cum calyce articulati, basi bracteis geminis oppositis semicordatis acutis sesquitertiam lineam longis deinde deciduis, infimi tamen stipulis supra descriptis suffulti. Calyx sex lineas fere longus, campanulatus, basi turbinatus, viridis, bilabiatus, membranaceus, persistens, labiis aequilongis, patulis, superiore bilobo, lobis ovatis acuminatis, inferiore profunde trilobo, lobis lanceolatis acuminatis, lobis omnibus trinerviis. Corolla papilionacea. Vexillum calyce duplo longius, suborbiculatum, emarginatum, flabellato-nervosum, patentissimum. Alae vexillo breviores, obovato-oblongae, obtusae, flabellato-nerviae, breviter unguiculatae. Carina longitudinae alarum, cultriformis, concava, utrinque flabellato-nervia. Stamina decem, diadelpha, alterna breviora, adscendentia, in carina recondita. Filamenta filiformia, novem im tubum membranaceum supra longitudinaliter fissum connata, decimum liberum fissurae tubi incumbens. Antherae oblongae, biloculares. Ovarium stipiti lineam longo in discum annularem carnosum inserto insidens, lineare, compressum, glabrum uniloculare, quadri-quinqueovulatum, in stylum attenuatum. Stylus filiformis, adscendens, stamina superans, ovario paulo brevior. Stigma capitellatum. Legumen (immaturum) octo lineas longum, duas latum, in stipitem quatuor lineas longum attenuatum, stylo persistenti aristatum, tetra-pentaspermum, lineare, rectum, compressum.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXVII.

1. Ramus, naturali magnitudine. **2.** Vexillum, auctum. **3.** Ala, aucta. **4.** Carina, aucta. **5.** Genitalia ex alabastro, aucta. **6.** Pistillum, delapsis jam petalis, naturali magnitudine. **7.** Legumen (immaturum), naturali magnitudine.

ERYTHRINA RETICULATA. TAB. LXVIII.

E. fruticosa, ramis petiolis foliisque utrinque aculeatis, foliolis deltoideis, acuminatis, subtus rugosis reticulatis puberulis, racemis spicatis, terminalibus, praecocibus, floribus ternato-fasciculatis, calyce campanulato, truncato, inferne in dentem prolongato, vexillo recto, lineari, staminibus diadelphis longiore.

Habitat in sepibus ad Rio de Janeiro Brasiliae.

DESCRIPTIO.

Frutex tri-sexpedalis, ramosissimus. Rami ramulique sparsi, teretes, longitudinaliter tenuiter striati, glaberrimi, cinereo-fusci, aculeis sesquitertiam lineam longis rectis a latere compressis horizontalibus sparsis armati. Folia unijuge pinnata cum impari. Foliola lateralia petiolulo lineam longo semitereti basi glandula subglobosa atropurpurea suffulto instructa, sesquipollicem longa, sexdecim lineas fere lata, ovato-deltoidea, acuminata, basi cordata, terminale vigintiduas lineas longum, duos pollices latum, deltoideum, acuminatum, petiolulo octolineali tereti sub apice articulato et glandulis duabus oppositis supra memoratis similibus minoribus tamen instructo versus medium aculeis parvis munito insidens, omnia trinervia, integerrima, coriacea, supra glaberrima et in costa ac in nervis aculeis linealibus rectis compressis patentissimis armata, subtus pallidiora opaca pube minuta sub lente tantum visibili adspersa in costa media nervisque aculeis raris armata venulisque elevatis reticulata atque rugosa, novella tomento ferrugineo denso vestita. Petiolus usque ad foliola lateralia sesqui-vel bipollicaris, teretiusculus, striatus, aculeis semilinea brevioribus compressis rectis armatus. Stipulae petiolares, geminae, oppositae, deciduae, bilineales, oblongae, obtusae, membranaceae, extus pubescentes. Racemus praecox, terminalis, erectus, quinquepollicaris, pedunculo ultrapollicari tereti striato suffultus, multiflorus. Axis angulatus, tomento fugaci vestitus. Flores densi, sparsi, in fasciculos trifloros rarius bifloros digesti. Pedicelli sesquilineales, teretes, tomentosi, patentes, bractea dimidio longiore subulata extus tomentosa decidua suffulti. Calyx quatuor lineas longus, campanulatus, truncatus, ebracteolatus, persistens, inferne in dentem semilineam longum obtusum prolongatus, tomentosus, calvescens. Corolla papilionacea. Vexillum bipollicare, quatuor lineis latius, coccineum, rectum, apicem versus falcatum, obtusum, glaberrimum, complicatum, nervis tenuissimis vix visibilibus instructum, reliqua petala includens. Alae calyce breviores, semisagittatae, obtusae, unguiculatae, flabellato-nerviae, adpressae, virescentes. Carina vexillo duplo brevior, usque ad quartam longitudinis partem bifida, complicata, flavo-virens, breviter unguiculata, laciniis oblongis obtusis basi semisagittatis flabellatonerviis. Stamina decem, diadelpha, apice exserta, vexillo breviora. Filamenta novem in tubum membranaceum superne longitudinaliter fissum connata, apice libera filiformia, alterna breviora, decimum filiforme fissurae tubi incumbens. Antherae lineari-oblongae, obtusae, medio dorsi affixae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Pistillum longitudine staminum. Ovarium lineari-lanceolatum, compressum, tomentosum, basi in stipitem, apice in stylum rectum compressum glaberrimum attenuatum. Stigma capitellatum. Legumen subsexpollicare, fere tres lineas latum, pendulum, tomento friabili hinc inde vestitum, medio moniliforme trispermum, longissime stipitatum, apice in rostrum compressum rectum longissime attenuatum. Semina globosa.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXVIII.

1. Ramus foliifer et florifer. **2.** Flos. **3.** Flos sine vexillo. **4.** Calyx expansus. **5.** Alae, carina et genitalia. **6.** Vexillum expansum; omnia naturali magnitudine. **7.** Ala, aucta. **8.** Carina cum genitalibus, **9.** Filamenta, tubo expanso; naturali magnitudine. **10.** Anthera a facie, **11.** Anthera a dorso, auctae. **12.** Pistillum, **13.** Legumen, nat. magn.

HIRTELLA FILIFORMIS. TAB. LXIX.

H. floribus octandris, racemis axillaribus terminalibusque, elongatis, laxis, pubescentibus, foliis subsessilibus, distichis, oblongis, acuminatis, obtusis, basi rotundatis, coriaceis, utrinque nitidis, costa media subtus ramulisque pubescente.

Habitat in America tropica.

DESCRIPTIO.

Rami teretes, glabri, cortice cinereo-fuscescente obtecti. Ramuli angulo acuto patentes, teretes, flexuosi, pilis simplicibus adpressis rufescentibus vestiti, internodiis semipollicem non superantibus. Folia usque bipollicaria, octo lineas lata, petiolo linea breviore tereti pubescente inarticulato instructa, sparsa, disticha, oblonga, acuminata, obtusa, integerrima, basi rotundato-obtusa, coriacea, sempervirentia, utrinque nitida, subtus pallidiora, costa media utrinque sed subtus magis prominula et pubescente, nervis pinnatis subtus parum prominulis, infimis pilis quibusdam aspersis, venis reticulatis tenuissimis. Stipulae petiolares, setaceae, pubescentes, fere sesquilineam longae, deinde deciduae. Racemi axillares et terminales, solitarii, erecti, bi-quadripollicares, multiflori, pedunculati, laxi, flexuosi, juniores filiformes flaccidi. Pedunculus usque pollicaris, teres, pilis adpressis rufescentibus pubescens. Rachis iisdem pilis vestita, angulata, deinde floribus inferioribus delapsis inferne cicatrisata. Bracteae setaceae, pubescentes, patentissimae, lineam longae, deciduae vel persistentes. Pedicelli tres lineas longi, sparsi, solitarii, patentes, pubescentes, nudi. Calyx pilis saepius descriptis praecipue in alabastro aspersus, deinde calvescens et pube pulverea vestitus, quinquepartitus, basi calcaratus, persistens, laciniis aequalibus ovatis obtusis patentibus coloratis lineam longis deinde reflexis, calcare laciniis aequilongo obtuso pedicello adnato. Petala quinque, calyci inserta, et illius laciniis alterna, ovata, obtusa, sessilia, calycis lacinias paulo superantia, fugacia. Stamina octo, calyci inserta, in una serie disposita, omnia fertilia. Filamenta filiformia, libera, aequalia, calyce triplo longiora, apice versus latus externum incurva, purpurea, persistentia. Antherae cordato-rubrotundae, dorso medio affixae, biloculares, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium superum, globosum, sessile, hirsutissimum, uniloculare, uni-biovulatum, ovulis fundo affixis erectis. Stylus e basi lateris exterioris ovarii exoriens, filiformis, erectus, stamina superans, basi pubescens. Stigma obconicum, nutans, apice truncatum. Drupa (immatura) quatuor lineas longa, obovata, obtusa, octosulcata, laeviter compressa, atropurpurea (in sicco), glaberrima aut pilis raris adspersa. Epicarpium tenue, vix carnosum, solubile. Nux obovata, laeviter compressa, longitudinaliter octosulcata, extus glabra reticulato-venulosa, intus densissime tomentosa. Semen solitarium, in fundo nucis affixum, erectum, cavitate nucis multiplo minus.

Alia inedita species est: *Hirtella elliptica;* floribus triandris rarius tetrandris, petalis obovatis emarginatis calyce velutino duplo longioribus, paniculis axillaribus terminalibusque compositis elongatis pubescentibus, foliis subsessilibus ovato-ellipticis breviter acuminatis supra nitidis subtus pubescentibus. Habitat in Brasilia.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXIX.

1. Ramus, naturali magnitudine. **2.** Alabastrum, **3.** Alabastrum longitudinaliter sectum, **4.** Flos apertus, **5.** Flos, sine petalis, calycis anteriore parte resecta, **6.** Petalum ex alabastro, **7.** Pistillum; **2—7** aucta. **8.** Drupa, **9.** Nux, **10.** Nux longitudinaliter secta; **8, 9, 10** naturali magnitudine. **11.** Semen, auctum.

FARAMEA SALICIFOLIA. TAB. LXX.

F. foliis lanceolatis, attenuato-acuminatis, stipulis petiolo aequilongis, aristatis, umbellae terminalis radiis trichotomis, calycis dentibus ovatis, acutis, brevissimis, corollae tubo limbum duplo superante, drupa globoso-depressa, calycis limbo minuto coronata.
Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro.

DESCRIPTIO.

Frutex glaberrimus. Rami di-vel trichotomi, teretes, angulo acuto patentes, internodiis usque bipollicaribus ad nodos superiores paululum incrassatis. Folia opposita, petiolata, stipulata, duos-tres pollices longa, quinque-septem lineas lata, lanceolata, attenuato-acuminata, obtusiuscula, integerrima, basi acuta, laete viridia, subtus pallidiora, herbacea, costa subtus nervisque pinnatis prominula. Petioli unam-duas lineas longi, subtus teretes, supra canaliculati. Stipulae longitudine petioli vel paulo longiores, interpetiolares, utrinque solitariae, connatae, ochreaeformes, apice vel sub apice e dorso aristatae, arista subulata adpressa, ad exortum ramulorum et inflorescentiae solutae ovatae, acuminato-aristatae. Umbella terminalis quinqueradiata, rarius triradiata, foliis reliquis conformibus suffulta. Radii patentes, compressi, viridi-caerulei, quatuor-septem lineas longi, apice dilatati, trichotomi, ramulis trifloris compressis coloratis apice dilatatis, exterioribus quatuor lineas longis, mediis duplo brevioribus. Bracteae ad ortum ramulorum et pedicellorum ovatae, acutae, minutissimae, fugacissimae. Pedicelli unam-duas lineas longi, teretes, colorati. Calyx lineam vix longus, coloratus, tubo globoso, limbo brevissimo quadridentato, dentibus ovatis acutis. Corolla quatuor lineas longa, caerulea, undique glaberrima, hypocraterimorpha, tubo cylindraceo, limbo quadripartito, laciniis ovato-oblongis acutiusculis patentibus. Stamina quatuor. Filamenta medio tubi corollae inserta, tenuiter filiformia, semilineam longa. Antherae infra medium dorsi insertae, lineares, rectae, parte suprema e fauce exsertae, sesquilineam fere longae, biloculares, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium cum calycis tubo arctissime concretum, globosum. Stylus filiformis, tubo corollae duplo brevior, apice bifidus, laciniis oblongis obtusis conniventibus intus stigmatosis. Drupa piso major, virescenti-caerulea, praesertim in uno latere, depresso-globosa, limbo calycis minuto campanulato coronata, unilocularis, monosperma. Pericarpium tenue. Nux laevissima, putamine tenui, intus basi membrana transversa erecta seminifera. Semen in fundo loculi solitarium, loculo triplo minus, ovale, transversum, fusco nigricans, laeve, basi sulco profundo in majori diametro longitudinali membranae placentiferae in fundo nucis affixum. Albumen semini conforme, corneum. Embryo lateralis, minutus, horizontalis, in apice seminis situs, secundum diametrum longiorem directus, extus in semine foveola minuta indicatus.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXX.

1. Ramus, naturali magnitudine. **2.** Alabastrum, **3.** Corolla longitudinaliter dissecta, cum staminibus et stylo, **4.** Stamen; omnia aucta. **5.** Drupa, naturali magnitudine. **6.** Drupa, secundum diametrum longiorem longitudinaliter secta, cum semine, **7.** Drupa, secundum diametrum breviorem longitudinaliter secta, cum semine, **8.** Drupa longitudinaliter secta, semine evulso; omnia aucta. **9.** Semen, naturali magnitudine. **10.** Semen ab inferiore pagina, **11.** Semen in diametro longiori longitudinaliter sectum, cum embryone, utrumque auctum.

CARROA.

ORDO NATURALIS. LEGUMINOSAE LOTEAE GALEGEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. DIADELPHIA DECANDRIA.

Trichopodium *Presl. obs. bot. 52.* nec alius.

Calyx campanulatus aequaliter quinquedentatus decemnervius. Corolla: vexillum cordato-orbiculatum unguiculatum, alae carinaque dipetala conformes semicordatae vexillo duplo majores. Stamina monadelpha, tubo stamineo superne longitudinaliter fisso, filamentis aequalibus simplicibus, antheris oblongis. Ovarium obliquum, uniovulatum, apice in stylum filiformem deciduum angustatum. Stigma obtusum. Legumen calyce aequilongum, obovatum, lenticulari-compressum, styli basi oblique mucronatum, monospermum, indehiscens. Semen lenticulare.

Fruticuli mexicani, glaberrimi, apice paniculato-ramosissimi. Folia sparsa, pinnata cum impari, foliolis multijugis oblongis mucronulatis lineato-venosis stipellatis. Stipulae subulatae, minutissimae. Pedicelli axillares, capillares. Flores parvi. Species hucusque duae notae.

Nomen genericum mutatum ob Trichopodium jamjam admissum et usitatum; itaque genus Johanni equiti de Carro, Medicinae Doctori, thermarum Carolinarum earumque historiae naturalis monographo egregio, vaccinae in continente europaeo primo promotori, amico maxime venerando dicatum.

CARROA GLANDULOSA. TAB. LXXI.

C. foliis imparipinnatis, foliolis oblongis mucronatis stipellatis ad marginem unica serie glanduloso-pellucide punctatis, ramis calyce legumineque glandulis ovalibus adspersis, calycis dentibus acutis, alis carinaque vexillo duplo majoribus.

Trichopodium glandulosum. *Presl. obs. bot. 52.*

Habitat in Mexico.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXI.

Ramus, naturali magnitudine. 1. Folii pars superior. 2. Flos. 3. Calyx. 4. Corolla. 5. Carina. 6. Carinae petalum cum genitalibus. 7. Ala. 8. Stamina cum pistillo. 9. Legumen cum calyce. 10. Legumen calyce remoto. 11. Legumen longitudinaliter dissectum. 12. Semen. Omnia aucta.

CARROA DIFFUSA.

C. foliis imparipinnatis, foliolis oblongis caulequ eglandulosis, calycis dentibus rotundato-obtusis, alis calyce duplo, carina calyce triplo longioribus.

Dalea diffusa Moric. in Mem. soc. genev. *VI. pars 2. p. 536. t. 6.*
Trichopodium diffusum. *Presl. obs. bot. 53.*
Habitat in Mexico.

MACHAERIUM HETEROPHYLLUM. TAB. LXXII.

M. inerme, stipulis deciduis, ramulis petiolisque pubescentibus, foliolis septem-novem petiolulatis coriaceis acuminatis obtusis pinnatonerviis reticulato-venosis, infimis ovatis basi rotundatis aut acutiusculis, supremis terminalique oblongo-lanceolatis basi angustatis, costa media subtus pubescente, petiolulis hirsutis, racemis axillaribus, fructibus sessilibus, legumine falcato glaberrimo reticulato-venoso longe stipitato.
M. heterophyllum *Presl. obs. bot. 61.*
Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro. Collegit Lhotsky.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXII.

Ramus fructifer, naturali magnitudine. Loculus leguminis ad dextram siti apertus, abscissa nempe ejus pariete anteriore.

MACHAERIUM LUSCHNATHIANUM. TAB. LXXIII.

M. inerme, stipulis deciduis, ramulis petiolis racemis foliisque subtus pilis minutis densissimis pubescentibus, foliolis tredecim — quindecim petiolulatis coriaceis acuminatis acutis pinnatonerviis reticulatovenosis puncticulatis basi rotundatis aut acutiusculis, inferioribus ovatis, superioribus terminalique oblongo-lanceolatis, racemis axillaribus, fructibus sessilibus, legumine longe stipitato glaberrimo cultriformi tenuiter reticulato-venoso ad loculum rugoso.
M. Luschnathianum *Presl. obs. bot. 61.*
Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro. Collegit Luschnath.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXIII.

Ramus fructifer, naturali magnitudine. Loculus leguminis infimi apertus, abscissa nempe ejus pariete anteriore.

CENTROLOBIUM MINUS. TAB. LXXIV.

C. foliolis quindecim — septemdecim petiolulatis ovato-vel lanceolato-oblongis acuminatis acutis subtus petioloque glanduloso-punctatis basi superiore rotundatis inferiore acutis, petiolulo

costa nervisque subtus pubescentibus, panicula terminali multiflora, bracteis cordatis acutis, legumine cultriformi obtuso ciliato creberrime glanduloso-punctato ad semina densissime longeque spinoso infra medium spina longa recta compressa instructo.

C. minus *Presl. obs. bot. 61.*

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro. Collegit Luschnath.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXIV.

Ramus fructifer, naturali magnitudine. 1. Legumen cum calyce et parte seminifera perpendiculariter sectis, seminibus abortientibus. 2. Leguminis pars seminifera monosperma aperta decorticata, ala abscissa, aucta. 3. Semen a facie. 4. Semen a ventre, auctum. — In icone hirsuties spinarum errore delineationis ommissa.

ENCOPEA. *Presl. obs. bot. 83.*

ORDO NATURALIS. RUBIACEAE, COFFEACEAE? COFFEEAE? CLASSIS ET ORDO LINNEI. TETRANDRIA MONOGYNIA.

Calycis tubus semiglobosus, limbus urceolato-campanulatus truncatus cartilagineo-marginatus persistens externe fere ad basim fissus. Corolla hypocraterimorpha, tubo apice ampliore, limbo quadrifido, laciniis late ovatis quinquenerviis patentissimis. Stamina quatuor, semiexserta, filamentis fauci corollae insertis brevissimis latis, antheris cordato-linearibus infra medium dorsi affixis. Ovarium calycis tubo adcretum, biloculare, loculis uniovulatis, ovulis obovatis. Stylus urceolo hemisphaerico carnoso insertus, filiformis, inclusus. Stigmata duo, linearia, obtusa, apposita. Fructus .....

Frutex aut arbor brasiliensis, glaberrimus. Folia breviter petiolata, cordata, coriacea, cartilagineo-marginata. Stipulae ovatae, nervo dorsali crasso elongato cuspidatae. Umbella terminalis, pedunculata, composita, radiis quinque, medio iterum composito, pedicellis quinque — decem umbellulam constituentibus inaequalibus crassis ebracteatis. Flores vix semipollicares, corolla alba.

ENCOPEA UMBELLIFERA. TAB. LXXV.

E. umbellifera *Presl. obs. bot. 83.*

Habitat in Brasilia.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXV.

Ramus Encopeae umbelliferae, naturali magnitudine. 1. Flos, auctus. 2. Flos longitudinaliter sectus, auctus. 3. Calyx cum stylo et stigmate, auctus. 4. Stamen a latere. 5. Stamen a facie. 6. Stamen a dorso, magis auctum.

BATHYSA. *Presl. obs. bot. 84.*

ORDO NATURALIS. RUBIACEAE, RONDELETIAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. TETRANDRIA MONOGYNIA.

Calycis tubus ovalis, limbus quadrifidus, laciniis latissimis truncatis emarginatis. Corolla hypocraterimorpha, tubo brevi cylindraceo, limbo quadrifido, laciniis patentissimis fauce medio barbatis. Stamina quatuor, exserta, filamentis fauci corollae insertis basi barbato-hirsutissimis, antheris ovalibus obtusis medio affixis. Ovarium biloculare, loculis multiovulatis, ovulis dissepimento placentifero affixis. Stylus semiexsertus, obconicus, crassiusculus. Stigmata duo, oblonga, obtusa, patentia. Capsula calycis limbo coronata, bipartibilis, carpiis monospermis ventre planis apice bivalvibus demum a calyce secedentibus, altero minore. Semen erectum, lineari-obovatum, acutissimum, dorso rugosum convexum, ventre granulosum et sulco longitudinali exaratum.

Frutex aut arbor brasiliensis. Rami compresso-tetragoni. Folia petiolata, lanceolata, subtus pubescentia. Stipulae oblongae, maximae, integrae, nervo dorsali velutino elevato basi latissimo percursae. Panicula terminalis aut lateralis, multiflora, floribus glomerato-capitatis parvis caeruleis. Pili barbae corollae et staminum reflexi, rigiduli.

BATHYSA STIPULATA. TAB. LXXVI.

Coffea stipulata *Arrab. fl. flum. II. t. 17.*
B. stipulata *Presl. obs. bot. 84.*

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXVI.

Ramus, magnitudine naturali. 1. Flos, auctus. 2. Corolla longitudinaliter secta et explanata, aucta. 3. Calyx cum annulo epigyno et stylo, resectis laciniis limbi anterioribus, auctus. 4. Capsula a latere, aucta. 5. Capsula a dorso, aucta. 6. Capsulae dimidium superius cum calycis limbi laciniis tribus, auctum. 7. Capsula transversim secta, aucta. 8. Styli sectio transversa, aucta. 9. Carpium a calyce secessum, a dorso. 10., 11. Carpium idem a ventre, auctum. 12. Carpium in valvas duas dehiscens, cum semine, auctum. 13. Semen a dorso. 14. Semen a ventre, magis auctum.

PYROSTEGIA. *Presl. obs. bot. 93.*

ORDO NATURALIS. BIGNONIACEAE, EUBIGNONIEAE.
CLASSIS ET ORDO LINNEI. DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA.

Calyx turbinato-campanulatus, aequaliter sinuato-quinquedentatus. Corolla tubo infundibuliformi, limbo quinquefido bilabiato, laciniis lanceolatis aequalibus. Stamina quatuor, didynama, exserta, sterili nullo, filamentis basi tubi corollae insertis, antheris cordato-lanceolatis acutis bilocularibus medio dorso affixis, loculis parallelis contiguis. Ovarium disco carnoso urceolato

quadrangulo nervoso insertum, lineare, tetragonum, biloculare, multiovulatum, dissepimento valvis uninerviis opposito tenui laminaeformi. Ovula plano-compressa, angulata, unica serie excentrice faciebus affixa. Stylus filiformis, exsertus, oblique insertus, demum deciduus. Stigma obovatum, bilamellatum, lamellis subretusis. Capsula siliquaeformis, cylindracea, octangularis.

Frutex brasiliensis, scandens, volubilis, pubescens. Folia opposita, petiolata, bifoliolata, foliolis lateralibus ovatis, folioli medii loco cirrhus elongatus apice tripartitus demum deciduus. Racemi in ramulis terminales, subumbelliformes, multiflori. Pedicelli basi bibracteolati. Corolla speciosa, magna, rubra.

PYROSTEGIA IGNEA. TAB. LXXVII.

Bignonia ignea *Arrab. fl. flum. VI. t. 15.* (*quae in Cand. prod. IX. 158 ad B. venustam Ker bot. reg. t. 249, Hook. bot. mag. t. 2050 dubie refertur*).

P. ignea *Presl. obs. bot. 93.*

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXVII.

Ramus Pyrostegiae igneae, naturali magnitudine. 1. Corolla longitudinaliter secta et explicata cum staminibus, naturali magnitudine. 2. Calyx cum pistillo, naturali magnitudine. 3. Pistillum cum disco hypogyno, auctum. 4. Calyx cum ovario immaturo, auctus. 5. Calyx longitudinaliter dimidiatus cum ovario immaturo et disco hypogyno, auctus. 6. Cicatrix apicalis ovarii, ubi stylus deciduus articulatus est, magis aucta. 7. Ovarium semimaturum transversim sectum, auctum. 8. Semina duo immatura, magis aucta.

NEMATANTHUS PERESKIAEFOLIUS. TAB. LXXVIII.

N. foliis petiolatis ovato-ellipticis acuminatis acutisculis basi acutis, opposito minore, superioribus ciliatis, pedunculis axillaribus solitariis petiolo duplo longioribus apice pyriformi incrassatis calyceque corollaque pubescentibus, calycis ultra medium quinquefidi laciniis laneeolatis angustato-acutissimis integerrimis, corollae laciniis ovato-subrotundis subaequalibus.

N. pereskiaefolius *Presl. obs. bot. 145.*

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro. Collegit Lhotsky.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXVIII.

Ramus, naturali magnitudine. 1. Flos, calycis laciniis duabus anterioribus abscissis, corolla longitudinaliter dissecta et explicata, naturali magnitudine. 2. Anthera a latere. 3. Anthera a facie. 4. Anthera a dorso, aucta.

NEMATANTHUS RADICANS. TAB. LXXIX.

N. ramis radicantibus, foliis lanceolatis acuminatis acutis ciliatis obliquis basi angustato-acutis, oppositis triplo minoribus, pedunculis axillaribus solitariis geminisque hirsutis apice turbinato-incrassatis demum deflexis, calycis hirsuti ultra medium quinquefidi laciniis lanceolatis acutis ciliatis remote calloso-serratis, corollae hirsutae laciniis ovatis aequalibus.

N. radicans *Presl. obs. bot. 145.*

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro. Collegit Lhotsky.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXIX.

Ramus, naturali magnitudine. 1. Flos, calycis parte anteriore abscissa, corolla longitudinaliter dissecta et explicata, naturali magnitudine. 2. Anthera a facie. 3. Anthera a dorso, aucta. 4. Anthera effoeta a dorso. 5. Eadem a facie, aucta. 6. Pistillum, naturali magnitudine.

MENDOZIA LANCIFOLIA. TAB. LXXX.

M. ramulis petiolis costis nervis foliorum pedunculis calyceque pube adpressa sericeis, foliis elliptico-lanceolatis acuminatis utrinque acutis ciliatis pubescentibus, novellis subtus sericeo-pilosis, pedunculis solitariis geminisque petiolo duplo longioribus, bracteis oblongis mucronatis utrinque obtusis ciliatis, corollae bracteas dimidio superantis laciniis quatuor reflexis, quinta (inferiore) patente, antherae loculis ad suturam ciliatis basi barbatis, stigmatibus cylindricis concavis divaricatis.

M. lancifolia *Presl. obs. bot. 147.*

Habitat in Brasilia ad Rio de Janeiro. Collegit Lhotsky.

EXPLICATIO ICONIS IN TABULA LXXX.

Rami duo, florens et sterilis, magnitudine naturali. 1. Flos, ablata bractea anteriore et corollae parte anteriore longitudinaliter resecta, magnitudine naturali. 2. Flos, ablata bractea anteriore et calycis dentibus anterioribus, magnitudine naturali. 3. Corolla longitudinaliter dissecta et explicata, cum genitalibus, magnitudine naturali. 4. Anthera a dorso. 5. Anthera a facie, aucta. 6. Pistillum cum disco hypogyno, auctum. 7. Pistillum, ovario longitudinaliter secto, auctum.

INDEX GENERUM ET SPECIERUM

VOLUMINIS SECUNDI.

	Pag.
ACRONIA	9
Acronia phalangifera	10
Adesmia echinus	14
Adesmia ulicina	15
Adesmia genistoides	16
ANISOMERIS	5
Anisomeris spinosa	6
BATHYSA	28
Bathysa stipulata	28
Brogniartia galegoides	21
CARROA	25
Carroa glandulosa	25
Carroa diffusa	25
Centrolobium minus	26
ENCOPEA	27
Encopea umbellifera	27
Erythrina reticulata	22
Faramea salicifolia	24
Fuchsia pyrifolia	19
Genipa barbata	13
Hirtella filiformis	23
Inga ciliata	11
Lasiandra Lhotskyana	2
Machaerium heterophyllum	26
Machaerium Luschnathianum	26
Mendozia lancifolia	30
Nemathanthus pereskiaefolius	29
Nemathanthus radicans	30
Pisonia macrocarpa	8
PURKINJA	17
Purkinja nodosa	18
PYROSTEGIA	28
Pyrostegia ignea	29
Samadera glandulifera	1
SCLEROTHRIX	3
Sclerothrix fasciculata	4
Tovomita foliosa	20
Viviana spinescens	7
Vochysia lucida	12

Typis et charta Caroli Bellmann. 1858.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 2. Polpodae capensis synonymis *adde:*
Camphorosma paleacea. *Lin. suppl.* 128. *Roem. Schult. syst. veg.* 3. *p.* 462.
Monetia paleacea. *Spr. syst.* 1. *p.* 442.

— 6. Didymonemae filifoliae synonymis *adde:*
Melachne Sieberi. *Schrad. mss. in Schult. syst. veg.* 7. *p. LXXXV.*

— 7. Affinitati *adde:* Summa affinitate gaudet cum Marila, sed differt numero quinario calycis et corollae, stigmate sessili, sepalis per anthesim imbricatis.

— 8. Scyphaeae racemosae synonymis *adde:*
Anisosticte. *Bartl. ord. nat. p.* 294 *in nota.*

— 14. Xiphocarpus martinicensis *lege* Xiphocarpus candidus; synonymis *adde:*
Tephrosia candida. *Cand. prod.* 2. *p.* 249.
Robinia candida. *Roxb. cat. hort. calc. p.* 56.
adde: ADNOTATIO. Nomen specificum incongrue selectum erat, cum haec stirps Indiae orientalis verosimiliter in Martinica culta obveniat.

— 15. *adde:* HISTORIA. Clar. Kunze in honorem Poeppigii novum genus quoddam chilense ex ordine Haemodoracearum dicavit, sed cum nominatim tantum obvenit, nomen a me plantae cubensi impositum servandum esse puto.

— 17. Habitationi *adde:* In Brasilia ad Bahiam collegit *Blanchet* et *Lhotsky*.

— 22. Polytropiae ferulaefoliae synonymis *adde:*
An Psoralea prostrata. *Lin. amoen. ac.* 6. *p.* 93 *?*

— 38. linea 4. *adde:* Proxima est Limeo, sed differt defectu corollae, staminibus quinque, stigmatibus crassis, capsula semicirculari, carpellis bilocularibus, loculo uno abortiente.

— 47. Amoriis *adde:* A. Endressii. — Trifolium Endressi. *Gay in pl. exs. union. itin.*

— 48. Trifoliis *adde:* T. Xatardi *Cand.*

— 61. post lineam 35 *adde:* Valde affinis L. incanae *Graham in bot. mag. t.* 3048, sed diversa foliorum dentibus et angulis, colore petalorum, squamarum petaloidearum, aristis multo longioribus, stylo piloso, seminibusque.

— 62. post lineam 22 *adde:* Pertinet ad sectionem ISOTOMA.

— 63. linea 6. *loco* calycis laciniis aequilonga, aequalia. *lege* calycis laciniis duplo longiora, superiore caeteris duplo latiore.

— 63. linea 13 et 14. *loco* tribus superioribus aequalibus, duobus inferioribus paulo latioribus vix brevioribus. *lege* lacinia inferiore reliquis aequalibus paulo minore.

— 64. linea 23. *loco* duas lineas longae, *lege* lineam longae.

— 64. linea 25. *loco* longitudine calycis laciniarum, *lege* calycis laciniis duplo longior.

— 64. linea 26. *loco* Tubus stamineus corolla multiplo brevior, *lege* Tubus stamineus corollam subaequans.

— 64. linea 27. *loco* Ovarium longitudine staminum, *lege* Ovarium longitudine calycis tubi·

— 64. linea 3 ab infra, *loco* 2. Flos, auctus. *lege* 2. Flos expansus et a latere, naturali magnitudine. 2 a. Flos, auctus.

— 64. linea 2 ab infra, *loco* Tubus stamineus, magis auctus, *lege* Tubus stamineus expansus, auctus.

— 71. Affinitati *adde:* Magis affinis Chrysopiae; differt filamentis, antheris, stylo, stigmatibus, figura ovarii atque glandulae hypogynae seu disci.

INDEX GENERUM ET SPECIERUM.

	Pag.
ADENOBASIUM	39
Adenobasium salicifolium	40
Alpinia Haenkei	66
AMARENUS	46
AMORIA	47
Amoria calycina	43
Amoria macropoda	51
ANEURISCUS	71
Aneuriscus Aubletii	72
Aneuriscus exsereus	72
APOPLANESIA	63
Apoplanesia paniculata	64
CALYCOMORPHUM	50
Campanula Barrelieri	30
Cistus Cupanianus	33
Dendrobium carnosum	35
Dendrobium mexicanum	36
Dendrobium nutans	34
DICARPAEA	37
Dicarpaea linifolia	38
DICRANANTHERA	75
Dicrananthera hedyotidea	76
DIDYMONEMA	5
Didymonema filifolia	6
Dorycnium torulosum	19
ENDLICHERA	73
Endlichera brasiliensis	74
Erythrina bracteata	70
Erythrina fissa	69
GALEARIA	49
GRAMMATOCARPUS	59
Grammatocarpus volubilis	60
Helianthemum rosmarinifolium	32
Heteranthera spicata	18
Huberia resinosa	58
Inga martinicensis	65
KOLLERIA	23
Kolleria herniariaefolia	24
Lasiandra muricata	68
Ledocarpum argenteum	67
LEPISIA	9
Lepisia ustulata	10
Loasa atriplicifolia	61
Lobelia Salzmanniana	31
Lobelia triphylla	62
LUPINASTER	46
Lupinaster Ecklonianus	52
MICRANTHEUM	47
MICROCHILUS	25
Microchilus major	26
Microchilus minor	27
MISTYLLUS	49
Neurocarpum cajanifolium	17
PARAMESUS	45
POEPPIGIA	15
Poeppigia procera	16
POLPODA	1
Polpoda capensis	2
POLYTROPIA	21
Polytropia ferulaefolia	22
PTEROTHECA	55
Pterotheca Vahlii	56
Rhynchospora longiflora	41
Rhynchospora paniculata	42
Rhynchospora pauciflora	57
Scabiosa tenuifolia	20
SCYPHAEA	7
Scyphaea racemosa	8
STEUDELIA	3
Steudelia galioides	4
THYSANACHNE	11
Thysanachne scoparia	12
Ticorea nitida	28
TRIFOLIUM	48
Trifolium affine	54
Trifolium dasyurum	53
Wahlenbergia flaccida	29
XIPHOCARPUS	13
Xiphocarpus martinicensis	14



Polypoda capensis. PRESL.

J. Skala fc.

F.X. Fieber del.

Steudelia galioides PRESL

Jos. Skala fe.

del. F. X. Fieber.

Didymonema filifolia. PRESL.

Jos Skala fc. del F X Fieber

Scyphæa racemosa. PRESL.

Jos. Skala fc.

del. F. X. Fieber.

Lepisia ustulata. PRESL.

Jos. Skala sc.

del. F. X. Fieber.

Tab. VI.

Thysanachne scoparia. PRESL.

Jos. Skala fo.

del. F.X. Frieb.

Tab VII

Diphocarpus martinicensis . PRESL.

Poeppigia procera. PRESL.

del F. X. Fieber.

sc. Jos. Skala

Neurocarpum cajanifolium. PRESL.

del. F.X. Fiber.

sc. Jos. Skala

Heteranthera spicata. PRESL.

del. F X Fieber *sc J Skala*

Doryenium toulosum. PRESL.

del. F. Fieber *sc. Jos. Skala*

Scabiosa tenuifolia. PRESL.

del F. Fieber..

sc Jos. Skala

Polytropia ferulæfolia PRESL.

del F. Fieber.

sc. Jos. Skala

2


3

4


5

6

7

8

9

10

Tholleria herniariifolia. PRESL.

del F Feber

se Jos Skala

Microchilus major. PRESL.

del F Fieber

sc Jos Stolz

Microchilus minor. PRESL.

del F Fieber. *sc. Jos Skala*

Tab XVII

Picrea nitida. PRESL.

del E. Fieber

sc. Jos. Skala.



Wahlenbergia flaccida. PRESL.

del F Fieber.

sc Jos Skala

Campanula Barrelieri. PRESL.

del. F Fieber.

sc Jos. Skala

Lobelia Salzmanniana. PRESL.

del F. Fieber.

sc Jos. Skala.

Helianthemum rosmarinifolium. PRESL.

del. F. Fieber.

so. Jos. Skala.

Cistus Cupanianus. PRESL.

del. F. Fieber.

sc. J. Skala.

Dendrobium nutans. PRESL.

del. F. Fieber

sc. Jos. Skala.

Dendrobium carnosum. **PRESL.**

del F. Fieber.

sc Jos. Skala.

Dendrobium mexicanum. PRESL.

del F Fieber

sc Jos. Skala



2



3



4

5

6

7

8

9

10

11



12

14

13

Dicarpaea linifolia. PRESL.

del. F. Fieber.

sc. Jos. Skalax.

Adenobasium salicifolium. PRESL.

del F. Fieber

sc. Jos. Skala.

Rhynchospora longiflora. PRESL.

del F. Fieber. *sc. Jos. Skala.*

Rhynchospora paniculata. PRESL.

del. F Fieber. *sc. Jos. Skala.*

Amoria calycina. PRESL.

del. F. Fieber. sc. Jos. Skala.

Amoria macropoda. PRESL.

F. Fieber del

J. Skala sc.



Lupinaster Ecklonianus. PRESL.

F Fieber del

J. Skala sc

Trifolium dasyurum PRESL.

F. Fieber del.

J. Skala sc.

Trifolium affine. **PRESL.**

F. Fiebr del.

J. Skala sc.

Pterotheca Vahlii. FRESL.

F. Fieber del

J. Skalu sc

Rhynchospora pauciflora. PRESL.

F. Fieber del.

J. Skala sc



Huberia resinosa. PRESL.

F. Fieber del.

J. Skala sc

Grammatocarpus volubilis. PRESL.

F. Fieber del.

J. Skalasc

Loasa atriplicifolia **PRESL.**

F Fieber del. *J. Skala sc.*

Lobelia triphylla. PRESL.

F. Fieber del.

J. Skala sc.

Apoplanesia paniculata. PRESL.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.

Inga martinicensis. PRESL.

3 2 4 5 6

F. Fieber del.

Fes. Stahl.

Alpinia Henkei. PRESL.

F. Fieber del.

Jos. Skala fc

Ledocarpum argenteum. **PRESL.**

F. Fieber del

Jos Skala sc.

Lasiandra muricata . **PRESL.**

F. Fieber del.

Jos. Skala sc

Erythrina fissa. **PRESL.**

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.

Tab. XLVII.

Erythrina bracteata. PRESL.

F. Fieber del.

Fos Skala sc

Aneuriscus exscrens. **PRESL.**

F. Fieber del. *Jos. Skala sc.*

Endlichera brasiliensis. PRESL.

F. Fieber del. Fos. Skala fc.

Dicranantheta hedyotidea. PRESL.

F. Fieber del.

Jos Skala sc.

Tab. 51.

Samadera glandulifera.

F. Fieber del

Jos Skala sc

Lasiandra Thelskyana.

F. Fieber del

Jos Skala sc.

Sclerothrix fasciculata.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.

Anisomeris spinosa.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.



Viviania spinescens.

F. Fuber del.

Jos. Skala sc.

Tab. 56.

Pisonia macrocarpa.

F. Fuber del.

Jos. Skala sc.

Zeronia phalangifera.

F. Fieber del

Jos. Skala sc

Tab. 58.

Inga ciliata.

F. Fieber del.

Jos Skala sc.

Vochysia lucida.

F. Fieber del

Jos Skala sc

Genipa barbata.

F. Fieber del

Jos. Skala sc

Idesmia echinus.

F. H. Fieber del.

Jos. Hiala sc.

Adesmia ulicina.

F. Fieber del.

Jos Skala fc.

Adesmia genistoides.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.

Purkinjia nodosa.

F. Fiebr. del.

Jos. Skala sc.

Fuchsia pyrifolia.

F. Fieber del

Jos Skala sc.

Tovomita foliosa.

F. Treber del.

Jos. Skala sc



Brongniartia galegoides.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.

Erythrina reticulata.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.

Hirtella filiformis.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc

Faramea salicifolia.

F. Fieber del.

Jos. Skala sc.

(Carex glandulosa) **PRESL.**

F. Fieber del.

Zelisko sc.

Machærium heterophyllum **PRESL.**

F. Fieber del.

Želisko sc.

Machærium Luschnathianum **PRESL.**

Centrolobium minus **PRESL.**

F. Fieber del

Kolesko sc

Encopea umbelliferæ **PRESL.**

Bathysa stipulata **PRESL.**

F. Fiober del.

Zeluska sc.

Pyrostegia ignea PRESL.

F. Fieber del.

Zelinsko.

Vernantinthus pereskiæfoliis PRESL.

F. Fiebor del.

Zelisko sc.

Nematanthus radicans **PRESL.**

F. Fiebor del. Zeliško sc.

Tab. 80.



Mendoxia lancifolia PRESL.

F. Fiebig del.

Lith. Inst.

SYMBOLAE BOTANICAE

SIVE

ICONES ET DESCRIPTIONES PLANTARUM NOVARUM VEL MINUS COGNITARUM.

AUCTORE

CAROLO BOR. PRESL,

MEDICINAE DOCTORE, HISTORIAE NATURALIS CAESAREO-REGIO PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE PRAGENSI.

FASCICULUS VII.

Vol II

PRAGAE,

SUMTIBUS AUCTORIS.
PROSTAT APUD J. G. CALVE.

1833.

MONITUM.

Symbolae botanicae descriptiones amplas, adnotationes criticas et icones accuratissimas cum analysi partium floris et fructus maxima sollicitudine exarata plantarum novarum aut minus cognitarum continent. Stirpes jam satis cognitae aut icone quacumque illustratae nullum hic obtinent locum.

Fasciculi Symbolarum botanicarum nulli periodo adstricti prodeunt; quisquis decem icones aeri incisas nigras et saltem sex folia descriptionum in lingua latina continet. Quinque fasciculi volumen efficiunt; quinto tituli voluminis indicesque adnectuntur.

Pretium cujusvis fasciculi est 6 flor. monetae conventionis vel 4 Thal. 6 gr. monetae borussicae.

Pragae, 1833.

J. G. Calve, bibliopola.

TYPOGRAPHIA J. SPURNY.

SYMBOLAE BOTANICAE

SIVE

ICONES ET DESCRIPTIONES PLANTARUM NOVARUM VEL MINUS COGNITARUM.

AUCTORE

CAROLO BOR. PRESL,

MEDICINAE DOCTORE, IN MUSEO BOHEMICO CUSTODE.

FASCICULUS 3.

Mo. Bot. Garden.

PRAGAE,

APUD J. G. GALVE, BIBLIOPOLAM.

1830.

Nachricht.

Die *Symbolae botanicae* oder sorgfältige und getreue nach Originalzeichnungen verfertigte Abbildungen und vollständige Beschreibungen neuer oder sehr wenig bekannter Gattungen und Arten phanerogamischer Pflanzen werden einem jeden Botaniker, Garten- und Blumenfreunde die vielen neuen und sehr seltenen Pflanzen-Gattungen und Arten liefern, die in den Herbarien und Gärten Prags enthalten sind. Ausgeschlossen sind in diesem Werke alle schon abgebildeten und hinlänglich bekannten Pflanzen, daher man niemals Wiederhohlungen oder gar Copien zu erwarten hat.

Alle einzelnen Pflanzen werden wissenschaftlich und kritisch beschrieben, so dass sich die Bemerkungen, wo es nothwendig befunden wird, auch auf alle verwandten Gattungen und Arten beziehen werden.

Diese *Symbolae botanicae* werden rücksichtlich der Zeit in zwanglosen Heften erscheinen. Jedes Heft wird 10 schwarze Kupfertafeln und 5 bis 8 Blätter lateinischen Text enthalten. Fünf Hefte sollen einen Band bilden; bei dem fünften Hefte werden die Titel des Bandes und das Register der darin enthaltenen Gattungen und Arten beigegeben seyn.

Der Preis eines Heftes ist 4 Thal. 6 gr. preus. Cour. oder 6 fl. Conv. Münze. Da die unterzeichnete Buchhandlung die Versendung und Verbreitung des Werkes übernommen hat, so hat Jedermann die schnellste und sicherste Bedienung zu erwarten.

Prag.

J. G. Calve'sche Buchhandlung.

SYMBOLAE BOTANICAE

SIVE

ICONES ET DESCRIPTIONES PLANTARUM NOVARUM VEL MINUS COGNITARUM.

AUCTORE

CAROLO BOR. PRESL,

MEDICINAE DOCTORE, HISTORIAE NATURALIS CAESAREO-REGIO PROFESSORE
IN UNIVERSITATE PRAGENSI.

FASCICULUS V^us.

Mo. Bot. Garden.

PRAGAE,

SUMTIBUS AUCTORIS.
PROSTAT APUD J. G. CALVE.

1832.

Nachricht.

Die *Symbolae botanicae* oder sorgfältige und getreue nach Originalzeichnungen verfertigte Abbildungen und vollständige Beschreibungen neuer oder sehr wenig bekannter Gattungen und Arten phanerogamischer Pflanzen werden einem jeden Botaniker, Garten- und Blumenfreunde die vielen neuen und sehr seltenen Pflanzen-Gattungen und Arten liefern, die in den Herbarien und Gärten Prags enthalten sind. Ausgeschlossen sind in diesem Werke alle schon abgebildeten und hinlänglich bekannten Pflanzen, daher man niemals Wiederhohlungen oder gar Copien zu erwarten hat.

Alle einzelnen Pflanzen werden wissenschaftlich und kritisch beschrieben, so dass sich die Bemerkungen, wo es nothwendig befunden wird, auch auf alle verwandten Gattungen und Arten beziehen werden.

Diese *Symbolae botanicae* werden rücksichtlich der Zeit in zwanglosen Heften erscheinen. Jedes Heft wird 10 schwarze Kupfertafeln und 5 bis 8 Blätter lateinischen Text enthalten. Fünf Hefte sollen einen Band bilden; bei dem fünften Hefte werden die Titel des Bandes und das Register der darin enthaltenen Gattungen und Arten beigegeben seyn.

Der Preis eines Heftes ist 4 Thal. 6 gr. preus. Cour. oder 6 fl. Conv. Münze. Da die unterzeichnete Buchhandlung die Versendung und Verbreitung des Werkes übernommen hat, so hat Jedermann die schnellste und sicherste Bedienung zu erwarten.

Prag.

J. G. Calve'sche Buchhandlung.